LOGICÆ ET METAPHYSICÆ
INSTITUTIONES

QUAS

AD USUM SUORUM DISCIPULORUM
IN ROMANO ARCHIGYMNASIO

CONSCRIPTAS,
DUOSQUE IN TOMOS DISTRIBUTAS

RAPHAEL BONOMI

PRESBYTER ROMANUS
INSIGNIS COLLEGIATÆ ECCLESIÆ
S. MARIÆ IN VIALATA CANONICUS
CATHOLICÆ RELIGIONIS ACADEMIÆ SOCIUS
IN COLLEGIO ANGLICANO URBIS
UNIVERSÆ PHILOSOPHIÆ JAM PROFESSOR
ET IN PRÆDICTO ARCHIGYMNASIO VULGO SAPIENTIA
THEOLOGICÆ ACADEMIÆ CENSOR EMERITUS,
NEC NON LOGICÆ, ET METAPHYSICÆ ANTECESSOR

DEI GENITRICI MARIÆ
SAPIENTIÆ SEDI
D. D. D.

EDITIO SECUNDA
PER AUCTOREM IPSUM AUCTIOR, ET EMENDATIOR

INSTITUTIONES LOGICÆ
TOM. I.

ROMÆ MDCCCXXVIII.
EX TYPOGRAPHIA JOSEPH MAURI
Praesidibus annuentibus.

DEIPARA
VIRGO SAPIENTISSIMA

Animo revolvens, cui potissimum, ut assolet, tamquam Auspici, et Patrono hasce meas qualescumque Institutiones nuncuparem; ut nimirum Nomen aliquod celeberrimum, be-

neque visum si eae praeferrent, et auctor, et opus pronis ulnis exciperentur: cum illae potissimum pro Romano Archigymnasio, quod vulgo *Sapientia* audit, conscriptae sint, nulli alii nuncupandas duxi, nisi Tibi, VIRGO SANCTISSIMA, quae SEDES SAPIENTIAE per antonomasiam jure, meritoque appellaris. Sane post illa Omnipotentis, Jesuque Reparatoris Nomina quodnam Tuo celebrius poteram, aut opportunius de Sapientia in Sapientia lecturus invenire, ut quem secus mereri haud possent, tum operi, tum scribenti favorem conciliarem? Quod mihi verendum, et merito verendum est, ne prae operis, meique exiguitate ex una parte, Tuaque ex altera Sanctitate, Majestateque praecellentissima audaciae, et temeritatis jure videar incusandus. Esto tamen sim ceteris; non Tibi equidem futurus sum, quae

pro Tua indefinita Benignitate tam comiter humilia respicis. Utinam vero non pro muneris parvitate, sed pro Tua Magnanimitate meam qualemcumque in eo exhibendo in Te devotionem clementissime excipiente Te adjutrice, et patrocinante illud sim consecuturus, ut ego, et discipuli mei, quam in praesentibus tenebris tentabundi inquirimus, veritatis viam absque errandi periculo, quoad fieri potest, pro nostro officio sic percurramus, ut ad eam, quae clara est, et quae nunquam marcescit, Sapientiam in Regno Filii Tui feliciter perveniamus. Quod dum ad Tui Pedes demississime provolutus, indubie in Misericordia Tua confidens, enixe postulo; indignum licet, toto tamen cordis affectu, me Tui Matris dulcissimae, Dominaeque sublimissimae, amantissimum, et humillimum filium, subditumque profiteor fidissimum.

PRO PRIMA EDITIONE FACULTATES, ET APPROBATIONES

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro

Joseph della Porta Vicesg.

Nihil obstat quoad infrascriptum Rectorem, si eorum, ad quos pertinet, approbatio non desit.

B. Cristaldi Archigymnasii Romani
Rector Deputatus

A dì 10 *Decembre* 1822.

Noi Censori dell' Accademia di Religione Cattolica Deputati a tenore della Legge XXVII. a rivedere le Istituzioni di Logica dell' Illustrissimo, e Reverendissimo Sig. Canonico D. Raffaele Bonomi, lettele diligentemente, non vi abbiamo trovata cosa, per cui il ch. Autore nella stampa non possa intitolarsi Accademico della Religione Cattolica.

D. Mauro Capellari)
Abate Camaldolese)
) *Censori deputati*
Francesco Finetti)
della Compagnia di Gesù)

Vista l' approvazione de' Censori concediamo al ch. Autore di far uso nello stampare la sudetta Operetta del nome di Accademico della Religione Cattolica.

Francesco Bertazzoli
Arcivescovo di Edessa Presidente

APPROBATIONES

In Logicis Institutionibus Illmi, et Rmi D. Canonici Raphaelis Bonomi, quas jussu Rmi Pat. Mag. S. P. Apost. perlegi, nedum nihil mihi occurrit erroneum, vel minus pie, castigateque prolatum, sed omnia apto ordine disposita reperi, perspicuoque concinnata stylo, ac facili deducta methodo. Quapropter opus dignum censeo, ut studiosae Juventutis commodo typis edatur.

Dabam ex Monasterio S. Gregorii de Urbe die 10. Decembris 1822.

D. Maurus Capellari Abbas Proc. Gen. Camaldulensis.

Institutiones Logicas ab Illmo, et Rmo D. Raphaele Canonico Bonomi exaratas jussu Rmi P. Magistri S. P. A. attente perlegi; cumque in iis nihil Fidei Catholicae, aut bonis moribus non plane consonum, quinimo doctrinam, et eruditionem plurimam, ac facilem, lucidam, concinnamque methodum, studiosis praesertim adolescentibus perutilem ubique offenderim, dignas judico, quae typis ad publicam lucem deducantur. Romae die 11. Decembris 1822. ex Domo Prof. S. J.

Franciscus Finetti Soc. Jesus

IMPRIMATUR

Fr. Philippus Anfossi Ord. Praed. Sac. Pal. Apost. Mag.

PRO PRAESENTI EDITIONE FACULTATES, ET APPROBATIONES

NIHIL OBSTAT

Fr. Thomas Maria Moralia Aug. Censor Theol.

NIHIL OBSTAT

Antonius Aloysius Ferrarini Soc. Jesu ex Coll. Philosoph.

REIMPRIMATUR

Fr. Dominicus Buttaoni Mag. Sac. Pal. Apost. Soc.

REIMPRIMATUR

J. Della Porta Patr. Constantinop. Vicesg.

AD LECTORES

DE CONSILIO OPERIS PROLUSIO

PRIMAE EDITIONI PRAEFIXA CUM ADDITAMENTO.

Diuturna tot annorum in tradendis variis facultatibus experientia edoctus, et praecipue vel de Matheseos Elementis, vel de Logicae, et Metaphysicae Institutionibus Juvenibus imbuendis tamquam Antecessor in Romano Archigymnasio per quinque, et amplius lustra addictus facto comperi, quam sapienter a praedecessoribus sancitum fuerit, ut per proprias Professoris uniuscujusque scripto traditas lucubrationes Juvenes singulas scientias docerentur, Auctoris alicujus utcumque celeberrimi seposita explicatione. Sicut enim cuique homini, licet in substantialibus ceteris assimiletur, propria tamen est facies; ita et indoles, et stylus, modusque peculiaris sensa sua ceteris explicandi, eamdemque rem sicuti intelligendi, sic nedum aliis, sed sibi etiam suasam reddendi, et complanatam. Unum adhuc vel Philosophum, vel Theologum, vel alterius uniuscujusque scientiae Doctorem non est invenire in opinionibus perfecte consentientem cum altero, si excipias facultatum Matheseos Professores; quos tamen (quod et in ceteras faculta-

tes profitentibus contingit) saltem in delectu demonstrationum, in rerum tradendarum methodo omnes prorsus reperies dissentientes; quamvis unusquisque sibi blandiatur vel certas, vel probabiliores saltem opiniones elegisse, aptioremque methodum, reique illustrandae, ac demonstrandae clariores, luculentioresque rationes adhibuisse. Impossibile igitur, ut qui ad aliquam facultatem legendam juvenibus praeficitur, eum inveniat Auctorem explicandum, qui facultatem eamdem tradiderit ita, ut in eo nihil inveniat vel relate ad opinandi rationem, vel relate ad modum res pertractandi, quod sibi non displiceat, quod non reprehendat. Quo vero successu tunc muneri suo, veritatem nimirum, quam ipse opinabitur, juvenes edocendi satisfaciet? Aut contra conscientiam, propriamque suasionem invisas sibi rationes, opinionesque, quas falsas, dubiasque saltem arbitrabitur, tamquam validas, certas, et inconcussas suadere conabitur discipulis: at quam enerviter id perficiat necesse est! Aut opportunis animadversionibus discipulos ipsos admonebit de erroribus, in quos Auctorem opinabitur incidisse; mentesque tironum confusis ideis inficientur. Porro incommoda haec juvenum institutioni perniciosissima eliminari prorsus, si per proprias lucubrationes scripto traditas a Professore edoceantur, nemo est qui non videat. Atqui tamen non levia incommoda methodus haec

ipsa secum ferre solet in publicis saltem Scholis, et Universitatibus. Dies, et horae singulis praelectionibus adsignatae, quae arctissimis ut plurimum limitibus concludi possunt, in materiali scriptione ab Auditoribus scientiarum inutiliter terantur oportet; mendaque plurima vel ex defectu discipuli in audiendo, praesertim si hic linguam, in qua lectiones traduntur, non bene calleat, vel sedulam attentionem, ut evenire solet, non adhibeat; vel ex defectu Lectoris in proferendo, in scripta irrepant necesse est: quae relegendo discipulus nihil intelliget, vel oppositum ab eo, quod sibi traditum. Unde eveniet, quod vel falsas, vel confusas ideas nanciscatur: vel nihil intelligens supervacaneo labore pertaesus studium fastidiat, scholasque frequentet, ut otio tantum indulgeat, aliorum juvenum familiaritate fruatur, vitiisque proprios non minus, quam alienos mores corrumpat.

En itaque quid me jamdiu compulisset, quidque vix oblata opportunitate compulit, ut quae scripto hucusque in edocendis juvenibus in Logicae, et Metaphysicae institutionibus in Romano Archigymnasio tradere consuevi, ampliora tamen, magisque ad trutinam veritatis (qua potui pro mea exiguitate) perpensa typis curarem imprimenda: quo fiat, ut meis propriis, sed proelo traditis lucubrationibus eos, qui mea sub disciplina praefatas facultates erudiri velint, in po-

sterum edocendo, omnia ab ipsis incommoda amoveantur, in quae necessario incurrant oportet, qui vel scripto expositis lectionibus, vel alieni a praeceptore Auctoris explicatione in scientia aliqua edocentur. De mei hujus consilii rectitudine eos omnes testes appello, qui animum, laboresque suos vel in tradendis, vel in addiscendis facultatibus hucusque addixerunt, quique veritatem eorum, quae asserui, satis superque experti, si ipsis opportunitas, quae mihi in Professoris munere oblata est, offerretur, et ipsi ultro, libenterque vel majori labori parcerent in profusioribus explicationibus exponendis, vel exiguo impendio pro impresso opere comparando, prae maximo emolumento profectus celerioris, et amplioris, in scientiis vel tradendis, vel addiscendis.

Quidquid vero de hoc futurum sit aliorum judicium, satis mihi est, ut consilium, quod caepi, amplissimis Archigymnasii hujus Praesidibus probatum sit. Haec interim praefari volui, ut meo instituto in hisce institutionibus concinnandis omnibus patefacto, nulli mirari subsit, cur ex una parte in tanta ubertate tot excellentium Philosophorum, qui hac aetate hanc ipsam spartam feliciter peragrarunt, ipse celeberrimis hujusmodi Auctoribus nulla ratione comparandus, eamdem tamen persequi praesenti opere non erubuerim, ex altera vero cur neque eruditionis copia, neque elegantiae ornamentum hoc ipso in opere

adinveniantur. Simplices Logicae, et Metaphysicae Institutiones pro Tironibus, quae iis nimirum supplerent proelo, quae scripto in schola publica tradi solent, et possunt, conscribendas proposui. Frustra ergo in iis quis vel eloquentiae ostentationem inquireret, vel fusiorem illam eruditionem, completamque rei elucidationem, quae cum scientiae alicujus tractatu comitari debent. Quibus enim limitibus Institutiones aliquae adstringi debeant, literatus nemo ignorare potest; quarum scilicet debet esse, ut non deficiant in necessariis, in supervacaneis non redundent; ut quae potiora sunt solide tamen, innuant, et ad veritatis trutinam rite revocata suadeant: ita tamen ut fontes in iis Tironibus occludantur, unde reliqua haurire valeant, quae ad rem universam apprime inserviunt addiscendam. Quae quidem omnia dum mihi blandior praesenti in opere praestitisse, pro adolescentibus tantum instituendis imperturbato animo publici juris illud facio; a cultoribus interim scientiarum, et praesertim in rebus ad Logicam, et Metaphysicam pertinentibus peritioribus expostulans, ut si quid minus caute, vel recte minus in meis hisce Institutionibus traditum agnoverint, a cachinnis, vel conviciis abstineant, sed potius me moneant, paratum tum publice, tum privatim ad errores, si quos invenerint, retractandos.

Hucusque, ut titulus ipse prodit, primae hujus operis editioni quae praefigebatur, Prolu-

sio. Quid tamen nunc ut addam, et temporis ratio postulat, et quae in opus ipsum a nonnullis litteratis aliunde Viris, quique apud me maxima sunt in extimatione, oretenus prolatae sunt, flagitant animadversiones.

Biennio post primam hujus Operis editionem prodiit nunquam satis laudanda SSmi Domini N. Leonis XII., quem Deus sospitet, Constitutio Quod Divina Sapientia, *qua studiorum methodus in Pontificia Ditione servanda praescribitur. Inter cetera, quae in ea Professores jubentur, est, ut vel Institutiones suas proelo editas tradant, vel Auctorem typis impressum ad sui tamen placitum eligendum, et a studiorum Congregatione approbandum explicando discipulos doceant. Suspicabitur forte hinc aliquis, vel me contra EJUS mentem aliquid innuisse, dum discipulorum institutionem per Auctoris alicujus explicationem non satis probo, vel IPSUM meae in hac parte opinandi rationi aliquid refragari, dum sinit, ut Antecessores per Auctoris sic electi explicationem suos instituant auditores. Ne tamen quis alterutrum suspicetur, animadvertat, quod sentiit, et optime sentiit perspicacis ingenii Pontifex, quas ego inveneram in facultatibus per Auctoris explicationem tradendis difficultates: perpendens nihilominus, ut providus Gubernator, quod qui primo cathedram ascendunt, Professorisque munus incipiunt, impossibile est, ut sta-*

tim in promptu habeant Institutiones typis consignandas, praesertim si agatur de plurium annorum cursu; item et laborem maximum considerans, et impendium, quibus obnoxii fierent Praeceptores, qui ad Institutiones proprias typis imprimendas adigerentur, et quibus forte satis non essent aetas, conditio, et vires uniuscujusque; noscens aliunde minus incommodi, et ad proficiendum impedimenti auditoribus afferri per Auctoris, qui Professori bene visus foret, explicationem, quam per Institutiones scripto traditas; exclusis per modum regulae Institutionibus scripto tradendis per integrum tempus, quo quis Professoris munere fungeretur, primum duxit permittendum, et tollerandum. Satis enim innuit, et magis ad juvenum institutionem accomodatum, proindeque sibi magis gratum futurum, si textum proprium typis impressum, quam alterius cujuscumque Auctoris in edocendo Professores forent adhibituri; eo ipso quod et in casu Auctoris adhibendi delectum illius Professoribus ipsis relinquit, facultatemque tradit notas, et additiones e scriptis auditoribus dictandi; et veluti adhortans ad proprias institutiones typis consignandas sinit interim, ut cum venia Congregationis, quae studiis praeficitur, per aliquod necessarium tempus e suis scriptis lectiones habeant (praed. Constit. Tit. VI. a §. 77. ad 81. inclusive); neque per id tempus,

cum perbreve supponatur, eos ad Auctorem seligendum adigit, vel explicandum.

Quod vero attinet ad animadversiones, quae in meum Opus a doctis, sapientibusque nonnullis Viris oretenus prolatae sunt; laetor, et vehementer laetor ad duas tantum potissimum eas redigi; et quamvis, ut mox subdam, non tanti eas faciam, ut quid in praesenti editione corrigendum duxerim relate ad illas; gratias tamen habeo eisdem plurimas, tum quod non infenso, sed amico animo sic me suis dignati fuerint animadversionibus, tum quod arrepta hujusmodi opportunitate erectus sim ad diligentius Opus ipsum perlustrandum, pluraque clariori methodo, et ratione exponenda, et demonstranda, quae in praepropera editione prima forte obscurius, et minus apte e currenti calamo mihi excidisse animadverti. Ne vero et ipsi, et lectores hujus Operis graventur, vel scandalum patiantur, quod tantorum hominum animadversiones parvi fecerim, oro, obtestorque, ut mox innuenda sedulo perlustrentur. Prima animadversio fuit, quod nil directe, in Metaphysica praesertim, adversus tot sequiorum temporum errores scripserim; vel ratiunculas, quibus perduelles nostrae aetatis homines ipsos tutari conati sunt, directa responsione perstrinxerim. E conspectu non spernenda certe animadversio hujusmodi videri potest. At qui sic ani-

madverterunt, forte meam in Metaphysicam praefationem non legerunt, neque circumstantias hujus meae lucubratiunculae expenderunt. Si enim expendissent, me Institutiones tantum metaphysicas, non plenam de Metaphysica tractationem scribere suscepisse, et quae coram discipulis praelegendae, explicandaeque forent arctissimo quadraginta circiter horarum spatio, quot sunt pro explicatione earumdem per integrum annum scholasticum adsignatae, cum reliquae vel in explicanda Logica, vel in exercitio Auditorum impendendae sint juxta prefatam Constitutionem (Tit. VI. §§. 77., 86., et Tit. XXVI. §. 286.), admirari potius debuissent, quod meo muneri completarum Institutionum tam brevi tempore tradendarum potuerim satisfacere. Atqui id prae oculis habui; id me implevisse satis blandior. Cum vero ex una parte impossibile sit, ut in brevibus Institutionibus directe singula perstringantur, quae a perduellibus scriptoribus ferme in dies contra veritatem evomuntur; aliunde vero positive, et evidenter singulis thesibus, quibus ii adversantur, demonstratis, satis contra eos causa confecta comperiatur; semel hoc praestito, in quo maxime adnisus sum (num acu rem tetigerim meum non est judicare), muneri, quod meae Institutiones flagitabant, mihi satis, superque videor satisfecisse: praesertim cum nec tempus, nec locus deesse possint tum in explicationibus, tum

in scholasticis exercitationibus oretenus auditores monendi, qua ratione ex traditis veritatibus adversarii quilibet conficiantur.

Alterum de quo querebatur quis in meis praecipue logicalibus Institutionibus perlustrandis est, quod nullibi in difficultatibus objectionibusque proponendis, enodandisque scholastica stricta forma, quam ajunt, usus sim: quod maxime expedire videbatur ad exercendos tirones in argumentatione. At hanc quoque animadversionem et praesensi, et praeoccupavi in Appendice ad primam Logicae partem, quam de Scholastica Concertatione *inscripsi. Ibi enim praelibatis nonnullis ad tirones ipsos imbuendos de praefata concertatione scholastica methodo habenda, ut nimis necessariae brevitati consulerem; praemissa longiori tractatione de ratiocinatione, et argumentationibus quibuscumque; difficultatum ubicumque occurrerent propositione, et enodatione academica tamen, quae brevior est, methodo non omissis, et mihi, et ceteris, qui mea hac lucubratione uti vellent in juvenibus erudiendis, onus imposui eos in praefata scholastica forma exercendi; ut inde nec arcti temporis limites pro textu explicando mihi dati inutiliter insumerentur, et discipulorum erudiendorum in exercitationibus exigentiae consuleretur.*

Nil aliud quod sciverim cum reprehensione dignum in meo hoc Opusculo deprehensum sit,

et iis, quae deprehensa sunt jam occurrerim, sicuti ea, quae, ut inquiebam, ego ipse deprehendi, et corrigenda, et declaranda summa cura enisus sim: aliunde vero exemplaria primae Editionis quadriennio jam defecerint, cum non solum ea singulis annis auditoribus meis in Archigymnasio debuerim suppetere, sed insuper plura et in varias Civitates, et Loca Ditionis ecclesiasticae, et insuper Neapolim, Florentiam, Genuam, Corsicam distracta sint; ne dicam de publicis scholis Fulginei, de Seminariis Firmano, Caesenatensi, Perusino, Spoletino, Centucullensi, et aliis, quae eadem ad imbuendos juvenes et alumnos, qui Logicae et Metaphysicae studerent, expetierunt; ad hanc secundam mearum Institutionum editionem jam devenio, confidens, quod sicut locupletior, et accuratior emerget, expurgata etiam a pluribus mendis typographicis, quibus prima scatebat; ita et gratior futura sit, et majori cum studio pro utilitate studentium sit expetenda.

IN LOGICAM PRAEFATIO

Cum Logica, ut inferius patebit, janua veluti, praesertim ad universam Philosophiam sit, eam ingressos primum doceri oporteret, quid ipsa *Philosophia* sit, quae hujus nominis etymologia, qua occasione sic dicta, quis ejus scopus, quaeque praesertim aetate nostra partitio; uti et celebriorum Sectarum Philosophorum, opinionumque in ipsa pertractanda historiam. At ne Institutionum limites excedam (nonnullis praelibatis quoad Philosophiae notionem, objectum, et divisionem; statuto etiam, quam nos philosophandi rationem eligamus), quod spectat ad Philosophorum sectas, celebriores Philosophos, eorumque opiniones vel pro opportunitate, vel in notulis in operis decursu adjiciendis, potiora quaedam trademus: ea tantum de causa, ne dum primum *Platonicos*, puta, *Academicos*, *Peripateticos*, similesque; uti et *Aristotelem*, *Pythagoram*, *Cartesium* etc. legerint tirones, quid sibi velint haec nomina, omnino ignorent. Uberiora in hanc rem qui cuperet, adire poterit tum Sigismundi Storchenau Prolegomenon in Philosophiam, tum Ludovisii Antonii Verneij Logicam, tum Eduardi Corsini praefationem in universam Philosophiam, aliosque, qui de hac re eruditissime pertractarunt.

Philosophia itaque nomen sortita suum ex duabus graecis voculis *φίλος*, et *σοφια*, quarum illa *amantem*, haec vero *sapientiam* sonat, nil aliud significat, nisi *sapientiae studium*, et *amorem*. Omnes (inquit Cicero *Tusc. quaest.* L. 5. c. 3.), qui in rerum contemplatione exercebantur, et proficiebant, ad usque Pythagorae aetatem *σοφοι*, idest *sapientes* et habebantur, et dicebantur. At ex quo Pythagoras ad olimpicos Greciae ludos, ut ait Valerius Maximus VIII. c. 7. descendit, vel ut idem Cicero laudato loco, et Laertius VIII. c. 8. cum Phliuntem Arcadiae urbem venisset, copioseque plurima ibidem coram Leonte Phliasiorum, vel Sicyoniorum Tyranno de humanis, divinisque rebus maximo cum plausu disseruisset, interrogatusque, qua arte primum confideret, quemque se esse profiteretur, artem se scire nullam, et esse tantum *φιλοσοφον*, seu sapientiae amatorem modestissime respondisset, sapientes omnes non amplius *Sophi*, sed *Philosophi* et ipsi dici coeperunt, studiumque, cui animum adjecerunt, *Philosophia* dicta est. Philosophia igitur sapientiae studium est. Sed sapientia juxta veterum mentem rerum divinarum, et humanarum, causarumque, quibus hae res continentur, teste Tullio *de Officiis* L. 2. c. 2., scientia est: objectum ergo Philosophiae est quidquid de Deo, creatisque rebus sciri potest; seu Philosophia nullis limitibus continetur, omniaque perscrutari debet, et investigare, causasque edicere omnium,

quae aliqua ratione sint menti humanae cognoscibilia.

Porro si tam late patet Philosophiae objectum, nullam jam facultatem, scientiam nullam invenire est, neque ipsa excepta Theologia revelata, quam sic late sumpto Philosophiae nomine, Philosophia ipsa non complectatur. Nihilominus rigorose loquendo, sequioribus praesertim, nostrisque hisce temporibus Philosophiae objectum ad illas tantum facultates restringi consuevit, quae naturalis rationis lumine immediate fulciuntur. Hinc quatuor ea in partes ab arabibus Aristotelis interpretibus divisa est, nominibus peculiaribus donatas, *Mathesim* nimirum, *Physicam*, *Metaphysicam*, *Ethicam*; quae divisio inpraesentiarum quoque communiter usurpari solet. Studium rerum, quae quantitates dici possunt, in quantum quantitates sunt, nempe augeri possunt, et minui, *Mathesis* vocatur a graeca voce μανθανω latine disco; quatenus ea philosophiae pars est, quae propter perspicuitatem, et certitudinem fere omnium, quae in ea traduntur, verae inter ceteras naturales scientias Disciplinae nomen meretur, cum ferme nihil in ea tradi soleat, quod non sit mirifice demonstratum. *Physica* a graeco themate φυσις, seu natura, ea complectitur, quae corporum quatenus corpora materialia sunt, naturam, indolemque respiciunt, legesque investigat, quibus juxta Auctoris sui dispositionem machina haec visibilium omnium, et creatorum regitur, coalescit,

ac perseverat. Cum vero ratio humana plurima quoque valeat inquirere, quae ad res sive natura spirituales pertineant, sive ad res, quae licet corporeae sint, cum spiritualibus, et simplicibus comunicant, quia simpliciter tamquam res, seu entia potissimum considerantur: hinc talium objectorum studium *Metaphysicae* nomine est donatum, sumpta voce vel a duabus graecis vocibus μετα φύσιν, quae latine redduntur supra Physicam, seu *supra naturam*, vel a tribus similiter graecis vocibus μετα τα φύσικα, *post res physicas*, tali titulo insignitis per praedictos Aristotelis interpretes scriptis Philosophi hujus, quae de talibus objectis agerent, opportuniori titulo, quem eis praeficerent, non invento. Quae demum Philosophiae pars de vita, et moribus, de virtute, et vitio, de libertate, de legibus; uno verbo, de modo, quo mores suos juxta rationem debeat homo componere, ut officiis suis erga Deum, erga seipsum, erga alios satisfaciat, pertractat, *Ethica* a graeco themate ἔθος seu *mos*, dicta est, scilicet *Moralis*.

Quanti objectorum hujusmodi perscrutatio, proinde Philosophiae studium faciendum sit, nemo est qui non intelligat. Numquam satis propterea laudandum Juvenum propositum, qui ad haec addiscenda toto se animo adjiciendos arbitrantur. Duo tamen caveant in primis necesse est, ne post labores exantlatos oleum, et operam se perdidisse noverint inutiliter. Primum ut *eclecticam*, quam dicunt,

philosophandi methodum, quam nos et hic, et praesertim in metaphysicis mox tradendis Institutionibus prosequemur, arripiant. Secundum ut ad Logicae studium in antecessum incumbant, cujus neglectus tamquam exitialis pestis ab Juvenum animis eliminandus.

Solemne fuit usque ad Potamonis tempora, imperante scilicet Romae Augusto, omnibus, qui ad Philosophiae studium incumbebant, ut Sectae alicui, seu Scholae ab illustriori aliquo Philosopho institutae nomen darent, ita tamen ut minime enucleatis thesibus, et rationibus, quibus illae inniterentur, ex sola magistri auctoritate plerumque eas tuerentur, propriasque facerent, utcumque illae insulsae, et ridiculae viderentur, perspicuisque factis, et phaenomenis adversarentur. Celebre hinc illud erat *jurandum esse in verba Magistri*, usque ad eam fatuitatem perveniendo, ut discipulus quis Aristotelis non erubuerit mordicus asserere, nervos omnes humani corporis e corde tamquam ex fonte in totum corpus diffluere, quia sic Aristoteles docuerat, licet anatome facta contrarium propriis oculis conspexisset. Insanum hoc, et irrationabile jugum e Philosophorum collo primum dejiciendum curavit laudatus Potamon, qui Alexandriae in Ægypto novam, inter se digladiantibus ceteris Philosophorum scholis, instituit sectam *Eclecticam* nuncupatam a verbo graeco ἐκλεγειν latine *eligere*; cujus doctrinae fuit summa, in

nullius magistri verba jurandum, sed veritatem ex omnibus Philosophis conquirendam, nec quidquam nisi ratione consulta, et maturo judicio recipiendum esse. Secta haec, si tamen secta dici possit, vix a fundamentis maximopere excrevit, arrisitque omnibus, et adhuc arridet emunctioris naris philosophis, si paucos excipias, quibus adhuc in votis est, nulla in re a placitis alicujus pervetusti philosophi, saltem in naturalibus scientiis, declinare. Illustriora certe catholicae praesertim religionis luminaria eclecticae huic philosophandi methodo adhaeserunt. Hinc inter ceteros S. Justinus Martyr, S. Irenaeus, S. Catharina, quam orthodoxi Philosophi hodie tamquam suam praesidem venerantur, Clemens Alexandrinus, Athenagoras, Origenes, S. Anatolius Laodiceae Episcopus, Arnobius, Lactantius, Eusebius, Synesius, S. Augustinus, aliique sectae hujus propugnatores extitere, dicentes cum Clemente alexandrino *Stromaton lib.* 1. *c.* 7. Philosophiam non Stoicam, non Platonicam, aut Epicuream, aut Aristotelicam; sed quaecumque ab his satis recte dicta sunt, quae docent justitiam cum pia sententia, hoc totum veram esse Philosophiam. En igitur quo animo ad Philosophiae studium est cuique juveni accedendum, si vere sapere, si veritatem edoceri cupiat, ut numquam in verba magistri juret; ut non auctoritate tantum sine ratione, sed ratione potissimum; et ubi agitur de rebus auctoritate nisis, ea

tantum auctoritate, quae rationalis sit, quam nimirum ratio suadeat tanti revera faciendam, ut ei cordatus vir adquiescere debeat; ad aliquid admittendum inducatur. Ratio utique ipsa suadet, ut in primis quibuscumque scientiarum rudimentis, et institutionibus inexpertus quisque auctoritati Praeceptoris primum assentiatur, ejusque ductui reverenter obsequatur, donec adaequatam facultatis, et rerum in ipsa pertractandarum ideam adeptus rite valeat inter verum, et falsum secernere, et de rationibus conclusiones ab ipsa facultate traditas firmantibus dijudicare: unde tirones jure, meritoque etiam admonentur, ut a diversis auctoribus, licet eadem de re, quam prae manibus habent, agentibus, legendis abstineant, ne opinionum varietate, variisque modis, et rationibus rerum pertractandarum confusionem sibi ingerant, non eruditionem. At semper eo animo studiis opera navanda erit, ut quaecumque recte dicta sunt, quae docent justitiam cum pia sententia, illa tantum ut vera quis amplectatur.

Alterum maximo cum studio, et quidem non solum ab iis, qui Philosophiae, sed et qui alii cuicumque scientiae, et facultati operam daturi sint, cavendum est, ne Logicae studium impetu addiscendarum scientiarum inordinato acti negligant: sed ad illam in antecessum sibi comparandam maximopere incumbant. *Pulcher sane*, Socratem alloquens inquiebat Parmenides, et ad Logicae studium im-

pellens, *atque divinus est impetus iste tuus, qui ad rationes se fert. Ceterum collige teipsum, diligentiusque te in ea facultate exerce, quae inutilis esse videtur multis, et quaedam garrulitas nuncupatur . . . alioquin te veritas fugiet.* Logica sane a graeco verbo λογος latine *discursus* facultas est illa, quae homines docet media, quibus ad veritatem nanciscendam pervenire quis valeat; quae veritatis cujuscumque addiscendae in abstracto enucleans naturam, operationes insuper, et instrumenta, quibus humana mens fruitur, et uti potest ad veritatem attingendam; praecepta tradit, quibus hae ipsae operationes, haec ipsa instrumenta adhiberi debent, ne in veritatis inquisitione quis falli valeat. Quid porro sine hac facultate proficere datum erit unquam; aut quomodo eveniet, ut non fallatur quis in veritate inquirenda media ignorans, et praecepta, quibus ad hanc inquisitionem dirigatur? Qui secus opinaretur, crassae nimis se ostenderet minervae, nec longius ab insania ejus declinaret, qui arbitraretur excellentem in arte quadam se evenire posse absque duce, et quin vel ipsa instrumenta noverit, quibus in eadem, qui eam profitentur, uti solent. Emunctae naris magistri non ita arbitrati sunt. Hinc Dialecticam sapientiae partem illam appellavit Tullius, *quae per omnes sapientiae partes manat, ac funditur. Doctrinarum apicem doctrinis omnibus praeponendam* vocavit Plato; *Organon, Instrumentum, scientiarum Ja-*

nuam Aristoteles; *Donum Deorum*, *quod ad homines per Prometeum quemdam una cum quodam lucidissimo igne descenderit*, opinatus est Socrates; ne quid dicam de Jamblyco, eisque omnibus, qui superstitiose quidem, sed cum veritatis fundamento judicaverunt, hanc esse scientiam, qua Pallas Ulissem regebat, ut adeo feliciter suos gregales suaderet, et qua Orpheus, Nestor, Solon, Licurgus, ceterique Legumlatores in societate, et in officio homines omnes continuerunt. Atque hinc est quod comuniter definiri soleat Dialectica *Ars bene cogitandi*. Novi equidem logicam naturalem haberi, facultatem nempe ratiocinandi ab Auctore naturae insitam, qua utentes nedum rudiores viri, sed et pueruli, atque femellae veritates quasdam nulla arte pertingunt, atque ex iis certissimas illationes deducunt. Perbelle sane. Natura dat homini ratiocinari, veritatesque investigare, quemadmodum Natura docuit hominem picturam, architecturam, sculpturam; uti ex ferro, ligno, aliisque hujusmodi machinas construere, ceteraque ad humanae vitae commodum, et utilitatem. At quid tandem progressus in professionibus, artibusque omnibus humana societas nancisceretur; quae mechanica, et fabrilia opera sola natura duce, nullaque arte adjutus homo produceret, nisi ridiculas, et informes picturas, casas, aliaque ejusdem generis, quae vel a pueris quandoque per lusum nunc fieri videmus; quaeve in pinacothecis a primis artium

inventoribus exculpta, delineata, fabrefactaque observantur, in quibus demiramur utique antiquitatem, primamque rei inventionem: non possunt tamen risum non movere, si comparentur cum iis, quae in praesentiarum ab opificibus nostris, arte tamen naturam ipsam evolvente adjutis, obtinemus? Sane, de ratiocinandi facultate propius loquendo, ubi de rebus sensibilibus tantum agatur, de ideis per se claris, et evidentibus, facile cuique erit per unam logicam naturalem et judicare, et ratiocinari. At ubi de ideis abstractis, generalibus, insensibilibus, abstrusis, similibusque sermo sit, nonne experientia novimus, homines aetate quoque provectos, ingenioque praeditos singulari, si nulla arte adjuti sibi relinquantur, nihil ferme proficere, ambagibusque implicatos persaepe nec verum, licet clare propositum, a falso scernere; neque eam, qua interius afficiuntur, veritatis notitiam, aliis ut plurimum posse communicare? Norunt proinde ii omnes, qui vel discendae, vel aliis tradendae veritatis alicujus provinciam susceperunt; irrito labore conari, nisi prius et ipsi perspectum haberent, aliisque traderent; quibus demum mediis homo instructus sit, quove artificio iis uti debeat, ut veritatem assequatur. Facultas autem haec et introspiciens, et docens Ars bene cogitandi, seu ratiocinandi est, et quae *Logica* dicitur *artificialis*. Ars, cujus notio non modo utillima, et necessaria, quae singulis scientiis praemittatur: sed quae insuper non adeo

facile obtinetur, ut patet, ex curis exantlatis, magnisque proemiis propositis ab Anglica, Berolinensi, Salmanticensi, et Sorbonica, ne quid dicam de Italiae nostrae Academiis, pro iis, qui in ea evolvenda adlaborarent. Sed nimis jam prae operis brevitate, quam mihi proposui, in suadenda necessitate, et utilitate Logicae praefatus sum: praesertim cum ad vos potissimum adolescentes scientiarum cupidos oratio mea directa sit, qui ipso ingressu in scholam, ubi Logica artificialis traditur, vel operis hujus comparatione, in qua primum artificialis Logicae praecepta expono, satis innuitis, et quanti eam faciatis, quantique vestra intersit, ut de ea edoceamini. Nil aliud restat proinde nisi ut objecto Logicae in genere luculenter jam exposito, de ejus divisione, et modo eam pertractandi nonnulla breviter hic subtexam. Logica est ars bene cogitandi, seu ratiocinandi, seu est ars veritatem cogitando inveniendi; sicut ergo tironibus uniuscujusque artis prius notio instrumentorum tradenda est, quae in ipsa adhibenda sunt: inde materiaei, circa quam ars ipsa versari debet; declarandum demum, num, et quomodo instrumenta ipsa applicari possint, et debeant ad materiam ad artis ipsius finem conformandam: ita et ars nostra ideam accuratam debebit prius exponere instrumentorum, seu operationum, quas homo potis est elicere, ut veritatem inveniat, earum naturam, et indolem explicando; tum quid proprie sit veritas, et praecise ea, ad quam Phi-

losophus, vel quilibet scientiarum cultor possit, et debeat pervenire per operationes praedictas; tum demum, num, quando, et quousque iisdem mediis utendo pro diversis veritatum, seu objectorum perceptibilium classibus possit mens veritatem pertingere, et investigare; similiter quando tuta esse valeat, se eamdem obtinuisse. Binas ergo in partes Logicam nostram secernemus; in quarum prima de operationibus, quibus homo uti potest ad veritatem addiscendam: in altera de veritate ipsa agemus, uti de ejus classibus, de modo, et ratione ad eam aliquando, et quousque fieri valeat, perveniendi. Cumque fere inutiliter ille addisceret veritatem, qui eamdem aliis vel nesciret, vel non apte sciret comunicare, dum in prima parte de singulis operationibus agemus, quibus homo veritatem sibi valet comparare, modum etiam exterius manifestandi respectivam operationem et trademus, et declarabimus. Utramque vero partem claritatis ergo in Sectiones, et Capita dividemus: ita tamen rem totam pertractandam curabimus, ut sepositis omnibus quaestionibus, quae a nonnullis auctoribus hic tradi consueverunt, ad Logicae finem minus pertinentibus, et impossibilibus, ut pertractentur ab iis, qui adhuc de Logicae, proindeque bene ratiocinandi praeceptis imbuti non sint, certis, et inconcussis principiis, utque plurimum facto, seu evidentiae innixis res ipsa tota conficiatur. Post quae jam sine mora

ad Logicae Institutiones exponendas mihi foret accedendum.

Sed antequam operi tum logicarum, tum metaphysicarum institutionum manum moveam, Omnipotentem Deum, a quo est omne donum, enixe, et demississime rogo, ut mihi scribenti non desit, sed mentem luce sua perfundens id praestet, ne aliquando errem, praecipue in iis, quae cum sanctissimae Catholicae Religionis dogmatibus, et Catholicae Romanae Ecclesiae doctrina, et legibus: quae omnia profiteor, veneror, et amplector: affinitatem aliquam habere possunt. Quod si quid minus caute, et me imprudente contra haec vota mihi contigerit, ut excidat, quidquid sic dixero, jam condemno. Adolescentes etiam, et quotquot meis hisce lucubrationibus usuri sunt, oro, obtestorque, ut eadem mecum sentientes, bonam mentem demissis precibus a Patre luminum sibi adprecentur; ut et qui docet, et qui legit, veritatem, quam hic possunt, inquirentes, ad veritatem ipsam, quae Deus est, immediate conspiciendam aliquando valeant feliciter pervenire. Lectores etiam monitos volo; quod si in decursu totius operis, auctores plures improbandos, vel improbatos, quin ullam peculiarem de hoc animadversionem faciam, commemorabo, eorumque scripta etiam laudabo, et tamquam consulenda proponam, hominum eorumdem vel eruditionem, vel scite dicta laudare tantum, et proponere, uti et pro erudi-

tione historica eos commemorare mihi est animus; nec consulenda utcumque eorum scripta proponere, nisi et quatenus id per Ecclesiam unicuique respective datum fuerit, cum jure meritoque pro erroribus, in quos inciderunt, eorumdem operum lectio, et retentio vetita comperiatur.

INSTITUTIONUM LOGICÆ

PARS PRIMA

De Operationibus, quibus homo vel ipse assequitur, vel ceteris comunicat veritatem.

Extat in homine quovis (id quod unus Scepticus (1) in dubium revocabit, quem inferius impugnandum, interim contemnendum arbitramur): extat, inquam in homine quovis Principium ope-

(1) Xenophanes Colophonius in Urbe Elea, seu, Velia magnae Graeciae novam philosophandi methodum commentus est, et ab eo Eleatica secta incoepit. (*Baylius Dict. hist. critico verbo Xenophanes*), Sectam hanc plures prosequuti sunt, ex quibus inter celebriores habentur Parmenides, Zeno Eleates Dialecticae auctor, Democritus, Abderites, Protagoras, Anaxarchus. Hi a *Laertio l.* 9. *sect.* 71., *et sequ.* primi hujus dogmatis propugnatores traduntur; quod nempe *sit de omnibus dubitandum*, in quo summa Philosophiae Scepticorum constituebatur. Hos tamen praecessit, Sexto Empirico teste, Gorgias quidam Leontinus Empedoclis discipulus, qui anno ante Christum natum 427. librum scripsit *de eo, quod non est*, tria demonstranda assumens: primum *quod nihil sit*: secundum *quod si quid existeret, comprehendi tamen a nobis non posset*: tertium

rans, per quod homo vivens constituitur, intelligens, atque volens. Num hoc principium sit quid a corpore diversum, num sit portio ipsius corporis: sit materiale ne, an immateriale, in praesentiarum non inquirimus; quod tamen immateriale in Metaphysica evidenter demonstrabimus. Illud tamen extra omnem dubitationis aleam ponendum est, quod per solam facultatem illam hujus principii o-

---

quod si quid existeret, atque a nobis comprehendi posset, minime tamen posset explicari. Verum qui post Eleaticos mordicus, novam sectam constituens, de omnibus dubitandum asseruit, fuit Pyrrho Anaxarchi discipulus natus anno ante aeram vulgarem 374. Haec secta ab auctore dicta est Pyrrhonia, ab inquisitione veritatis ἀπὸ τοῦ ζητεῖν *Zetetica*, a suspensione omnis judicii ἀπὸ τοῦ ἐπέχειν *Ephetica*, a dubitatione ἀπὸ τοὺ ἀπορεῖν Aporetica; ἀπὸ τοῦ σκέπτειν a non invenienda scilicet veritate *Sceptica*. Pyrrhonem inter celebriores secuti sunt Eurylochus, Philo Atheniensis, Hecataeus Abderita, Nausiphanes Tejus, Timon Phliasius, Ptolomaeus Cyrenaeus, Sextus Empiricus. Nomen immutarunt Sceptici in illud *Academicorum*, eo quod tum Arcesilas Academiae mediae princeps, tum Carneades novae Academiae conditor, aliqua tamen cum moderatione, eamdem doctrinam professi sunt: (videri in hanc rem meretur Cic: *academicarum quaest.* L. 1. c. 12., L. 4. c. 14., et *de natura Deorum* L. 1. c. 6.). Inter scepticos a nonnullis numerantur etiam Franciscus Sanchezius Bracharensis, qui librum scripsit *de multum nobili, et prima universali scientia, quod nihil scitur*, Mathaeus Vayerius Gal-

perantis in homine, quae *Intellectus* vocari solet, homo assequitur; uti per externam manifestationem operationum, quae eadem facultate fiunt, ceteris tradit veritatem.

Porro intellectus humani, saltem quatenus veritati inquirendae, vel communicandae inservit, operationes in quatuor veluti classes dispertimur. Aliae nimirum *ideae* sunt, aliae *judicia*, aliae *ratiocinationes*, aliae *methodi* dici consueverunt.

Idea a graeco verbo εἴδω *video*, seu *perceptio*, *visio intellectualis*, *apprehensio*, *cognitio*, etc., est ea mentis operatio, qua mens simpliciter rem contemplatur, seu noscit, nihil adhuc de re ipsa negans, aut affirmans, ut cum sol, vel arbor meae menti obversatur, ideam solis, aut arboris habere dicor.

Judicium ea dicitur mentis operatio, qua duas

---

lus in suis Dialogis, Daniel Huetius ob librum, cui titulus *La foiblesse de l'entendement humain* (qui tamen profitetur nihil dubitandum de veritatibus revelatis; et omnino a sanioribus Criticis defenditur a scepticismo, librum praedictum Huetii non esse contendentibus), uti et Petrus Baylius *in Dictionario historico-critico* verbo *Pyrrho*. Verum, si Baylium ad summum excipias, quem confutarunt Croasutius in *examine Pyrrhonismi veteris, et novi*; et Joannes Franciscus Buddeus *Dissertatione de scepticismo morali*; ceteri in ea potissimum sententia esse videntur, admodum imbecillem esse humanum intellectum, paucasque veritates posse pertingere.

ideas simul convenire, vel non convenire percipiens, ita se rem habere affirmat: sic conferens figuram rotundam cum sole, eam soli convenire affirmans, judicium efformo.

Ratiocinatio, seu *discursus* est ea mentis operatio, qua, ut noscamus, conveniant nec ne duae ideae inter se, si id primo obtutu non patet, tertiam assumimus ideam cum duabus comparandam; quam si convenire cum iis noscimus, affirmamus earumdem convenientiam; secus, si cum una conveniat tertia, cum altera vero non item. Sic ut videam, num virtus amanda sit, comparo ideam virtutis cum idea bonitatis; similiter ideam bonitatis cum eo, quod amorem meretur; et dico *virtus est bona: sed omne bonum est amandum; ergo virtus est amanda.* Similiter ut noscam, num, puta superbia bona dici possit, comparo ideam bonitatis cum vitio; denuo ideam vitii cum idea superbiae, et dico *nullum vitium est bonum: sed superbia est vitium; ergo superbia non est bona.*

Methodus demum, seu *dispositio* ea est mentis nostrae operatio, qua ideas, judicia, et ratiocinationes varias, quae ad rem aliquam intelligendam deducunt, et necessariae sunt, ordine quodam disponimus, ut rem ipsam apprime concipiamus.

Quatuor hujusmodi mentis operationes illae sunt, quarum et naturam, et qualitates, usum, et manifestandi modum Logicus primum perbelle

investiget, oportet ad dignoscendam veritatem sive propria operatione sibi comparandam, sive per alios sibi communicatam, tum ad eamdem aliis communicandam, ne in errorem ipse labatur, vel alios detrudat in veritatis investigatione, vel manifestatione, cum haec media sint, quibus homo pollet ad veritatis assecutionem, et comunicationem. Sit itaque

SECTIO PRIMA

DE IDEIS, ET VOCIBUS.

PARS PRIMA

DE IDEIS.

CAPUT PRIMUM

De Ideis consideratis in se.

Idea itaque est intellectualis rei alicujus simplex visio, aut perceptio. Sed in hac tria sedulo distinguenda sunt: 1. *actus mentis*, quo rem sibi repraesentatam contemplatur; in quo proprie dicenda est idea consistere: 2. *objectum externum*, vel *mediatum*, seu res, quae videtur, et percipitur: 3. *objectum internum*, seu *immediatum*, et *formale*, quod consistit in repraesentatione ipsius objecti externi, quae animae fit praesens, quaeque animam determinat ad ipsum objectum externum conspiciendum (2).

(2) Quae hic, et in posterum, tum etiam in Metaphysica dum de animae operationibus dicturus sum; nisi aliter indicetur, vel ex contextu pateat; intelligat lector

Quod ad primum frustra hic logicus quaererem, quid proprie sit actus hujusmodi, substantia ne, an modificatio animi; an potius qualitas occulta, uti sexcenta hujusmodi a peripateticis (3) praesertim partim falso, partim inutiliter excogitata; quae nulla ratione insuper inserviunt ad mentis aciem in ve-

---

de iisdem operationibus, et relate ad easdem, donec et in quantum anima in corpore, et medio corpore, quod informat, operatur. Quomodo enim spiritus medio corpore, eique alligatus, ut ita dicam, agere possit, et reapse agat, conceptu, dictuque possibile vix quidquam est: quis vero id edicet, vel intelliget, quando a corpore separatus vivat? Praeterquamquod Logicam, et Metaphysicam scribentis non est, nisi de animae actionibus directe, et potissimum pertractare, in quantum, et quatenus unam cum corpore personam constituit, et efformat.

(3) Hi Aristotelem ducem sequuntur, qui natus Stagyrae in Thracia anno ante Christum 382. cum esset annorum 17. Athenas se contulit philosophiae operam daturus: per annos 20. Platonem audivit, adeoque profecit, ut a Platone ipso suae scholae *anima* diceretur. In Macedoniam a Philippo rege evocatus datus est Alexandro filio magister; quo munere per annos 8. perfunctus, adeo omnibus, ipsique Alexandro probatus est, ut dicere soleret, *se a Patre ut viveret, ab Aristotele ut bene viveret habere*. Athenas inde reversus novam instituit sectam in Lycaeo, loco scilicet in Athenarum suburbio a Pericle ad militares exercitationes condito; cumque deambulando cum discipulis doceret, ἀπὸ τοῦ περιπατεῖν Peripatetica haec schola dicta est. Tandem de pluribus sceleribus falso insi-

ritatis inquisitione dirigendam; quae ut definiantur, discussione indigent non mediocri; quae proinde nimis propere inquirenda proponerentur iis, qui adhuc ratiocinandi vim, et modum ignorare supponuntur; quae demum magis proprie ad metaphysicam pertinerent. Duo itaque tantum hic perpendenda propono: primo logicos persaepe, imo et metaphysicos ideae nomine rem ipsam visam intelligere, melius dicam id, quod objecti interni nomine superius innuimus: unde eam *rei visae imaginem*, seu *repraesentationem internam* quandoque vocant; quod non mediocrem saltem logico confusionem ingerat necesse est. Secundo ideae, seu visionis intellectualis nomine intelligi debere quamlibet sive sensationem, per quemcumque sensum oriatur, sive

---

mulatus, et praesertim quod foveret opiniones adversas rebus sacris Atheniensium, relictis plurimis, quos conscripserat, libris Theophrasto, quem designavit suum successorem in docendo, Chalcidem aufugit, ubi fato cessit annorum 63. Ejus libri varias vices perpessi sunt, quique publicati ab Andronico Rhodio, ob easdem vices corruptissimi sunt. Philosophia peripatetica magno semper in honore habita est, et purgata a pluribus erroribus relate ad religionem etiam in scholas catholicas invecta, et adeo in veneratione habita sequioribus praesertim Ecclesiae temporibus, ut pro comuni ferme scholarum omnium consensione in ea prosequenda, non amplius *Peripatetica*, sed *Scholastica* dicta sit: unde *Scholastici* idem sonant ac *Peripatetici*.

internam rei alicujus sive existentis, sive possibilis, aut intelligibilis tantum considerationem simplicem, aut ex memoria, aut ex imaginatione, aut ex phantasia. etc. originem ducat.

Quoad secundum autem, et tertium notare praestat, generaliter philosophos ideae objectum vocare id, quod ab anima cognoscitur, sive sit corpus, sive corporis motio et actio, sive spiritus, sive res phantastica quaevis et imaginaria, etc.; uti homo semel vivus, nunc mortuus, cujus memoriam excito, uti albedo absque albo corpore considerata, uti demum humanum caput cervici equinae superimpositum etc. Perbelle sane. At sedulo distinguenda sunt objecta duo in qualibet idea, ut jam diximus *externum* unum, *internum* alterum, scilicet et res visa, et quaedam sive motio, sive interna in homine dispositio (quidquid tandem ea sit) menti ipsi proxime rem conspiciendam exhibens, illamque determinans ad cognoscendum. Sicut enim frustra imago in speculo inquireretur, nisi praeter speculum, et prototypum ea habeatur radiorum lucis incidentia et reflexio, per quam prototypi imago in speculo pingatur quodammodo, ita numquam objectum externum perciperet mens, nisi aliqua oriretur in homine mutatio, per quam ad objectum videndum determinaretur. In visione rerum corporearum res in propatulo est. Sane etiamsi nemo videret, sol extaret; et nisi sanus, intentusque oculus habeatur a solis radiis percussus, sol

videtur numquam. At et hoc ipsum dici debere de iis ideis, quae res incorporeas, vel phantasticas tantum exhibent, patebit consideranti, quod licet a parte sui existant, et intelligibiles sint veritates abstractae, axiomata etc., uti intellectus, qui potis sit ea cognoscere, numquam tamen cognoscentur, nisi intellectui haec ipsa per aliud medium repraesententur. Discrimen tantum inter ideas objectorum hujusmodi, et rerum corporearum a parte rei existentium illud est, quod in productione objecti interni quoad primas potiorem ut plurimum partem habet ipsa mens, in secundis vero non item.

Quid proprie sit objectum hujusmodi internum, praesertim quoad ideas phantasticas, imaginarias; et in quo proprie illud consistat, discam potius, quam doceam. Satis mihi illud interim est, ejus notionem sufficientem exhibuisse, ejusque ab objecto externo distinctionem.

Sed antequam ulterius progrediamur et illud animadvertere juvabit, objectum externum non determinare necessario animam ad sui ideam habendam, bene vero objectum internum; et objecta externa in tantum esse ab anima perceptibilia, in quantum ab objecto interno repraesentantur. Re sane vera quisque intelligit et sentit, data motione sensuum, phantasiae, memoriae etc., non posse se ideam rei non experiri etiam invitum; et nisi ipsum objectum internum evanescat, vel in aliud commutetur, primam ideam deleri quodammodo non pos-

se. Contra per se manifestissimum illud patet, objecta utique externa toties extare, quin illa cognoscantur. Certe si objecta externa percellant sensus, vel phantasia, memoria etc. aliqua videnda proponant, habebis ideam necessario; at hoc, quia per hujusmodi percussionem, et propositionem jam objectum internum productum sit. Sed et clarissime secundum apparet, mentem scilicet objecta externa percipere cum proportione non ad ipsa, sed ed interna objecta, cum haec sint, quae animum ad videndum determinent, non vero externa objecta; imo haec mediis internis objectis intellectui se prodant. Uberrima sane ex his deducet quisqe ad veritatem, et falsitatem objectorum, quae ideis nostris concipimus, dignoscendam, postquam praesertim secundam Logicae partem fuerit edoctus. Interim cum tanta sit idearum nostrarum varietas, quantam verbis exprimere vix possumus; expedit, ut in quasdam veluti classes, principales saltem earumdem species revocemus, et suis nominibus distinguamus: quo facilius earum proprietates explicare queamus, modumque, et regulas, unde vera ne, an falsa per eas cognoscamus, pro ipsarum diversitate inferre valeamus.

Ergo ideae multiplici modo distingui possunt. Potissimum autem distinguuntur vel quoad principium, unde oriuntur; vel quoad modum, quo menti objecta repraesentantur; vel demum quoad objecta externa, quae per ideas conspiciuntur. In iis pul-

cherrima multa, et necessaria se offerunt perpendenda, de quibus nos ordine explicabimus.

CAPUT SECUNDUM

De ideis respiciendo ad originem.

Mirum sane quot confixerint Philosophi systemata ad idearum originem explicandam! Nos hic breviter potissima enumerabimus. Plato (4) itaque confusam forte edoctus peccati originalis revelationem

---

(4) Plato *Philosophus divinus*, *et Philosophorum Deus* appellatus a Cicerone, natus est Athenis anno 426. ante Christi nativitatem. Ab anno 20. ad 28. aetatis suae Socratem audivit; post cujus mortem longam peregrinationem ad sapientes audiendos suscepit: qua in peregrinatione plurimum profecit, praesertim in physicis, et geometricis: plurima etiam hausit ex libris Moysis, ut testantur Eusebius *in praeparat. evang.*, Josephus *contra Apion.* L. 2., et Clemens alexandrinus, qui refert, Numenium Philosophum dicere consuevisse, *quid est Plato, nisi Moyses atticissans*? Reversus Athenas scholam aperuit in loco quodam nemoroso apud Civitatem, quae schola a Possessore dicti loci, cui nomen Hecademus, primum Hecademia, deinde Academia dicta est. Haec est Academia *vetus*, ex qua *media*, et *nova* postmodum prodierunt, Arcesila, et Carneade Platonis successoribus in schola auctoribus, de quibus vide in notula sub N. 1., mutato ab his docendi modo (cum enim Plato, Academicique veteres plura sciri posse con-

in Timaeo asseruit, animas nostras omnes, quas ab aeterno extitisse contendit, jamdiu antequam corpore donarentur, per sidera sparsas fuisse a Deo, ideisque omnibus perfusas. Cum vero illae peccassent, pro admissi criminis luenda poena ad informanda corpora destinari; corporis vero contagione ita misceri, et confundi ideas illas omnes, ut homo nonnisi meditatione, et exercitio sensuum illas valeat recuperare: hinc illud Platonis apud Ciceronem *quaest. L.* 1. *c.* 24. *nihil aliud est discere nisi recordari*. Creari animas a Deo, dum corpori con-

---

tenderent, unde etiam *Dogmatici* dicti sunt, hi scepticam doctrinam docere coeperunt, et ad summum quid verosimile adinveniri posse contenderunt). Neminem admittebat in discipulum Plato, qui geometriam ignoraret, epigraphe proinde ante scholae januam inscripta οὖδεις ἀγεό-μετρῆτος εἴσιτω *nemo geometriae expers huc intret*. Doctrinam suam in Dialogis 56. exposuit, quibus praefixit nomen Socratis. vel alterius Philosophi (compendium hujus doctrinae refert Tullius *Academicarum quaest.* LL. 5. 6. 8.); atque adeo celebritate excelluit, ut plurimos habuerit, magnique nominis sectatores. Patres ipsi Ecclesiae primorum seculorum sepositis erroribus, quos docuit contra religionem, Platonem in philosophicis sequi non erubuerunt; et S. Aug. ait, Platonem certe, si post Christum natum floruisset, et doctrinam christianam fuisset edoctus, unum ex Ecclesiae Patribus exiturum fuisse. Anno demum 81. aetatis suae ea ipsa die, qua natus, mortuus est.

jungantur, opinatus est Cartesius (5) *meditat.* 3. *p.* 17. *ac in principiis philosophicis parte* 1. *a.* 3.,

(5) Renatus des Cartes, seu Cartesius Hagae Turonum natus anno 1596. cum amoeniores litteras, et philosophiam Flexiae didicisset, plures annos partim militando, partim per Germaniam, et Italiam peragrando consumpsit. Tandem rejectis muniis in Gallia, et Anglia sibi oblatis in Hollandiam se recepit, et per annos 25. in villa quadam Egmondana ad philosophicas meditationes incumbens novam philosophandi methodum invexit; experimentis, et geometricis principiis praesertim naturae leges explicare studens. Hinc tot nova dogmata in philosophiam invecta, quorum celebriora fuerunt, et quod vacuum in natura non daretur, et quod omnes motus, gravitatisque leges per motum vorticosum in universa na'ura explicari deberent, et quod nonnullae ideae omnino innatae, et non acquisitae admitti debeant, ut plures Phylosophi sic Cartesium interpretantes suspicati sunt, et sexcenta hujusmodi, quae pro opportunitate apud philosophos invenire est. Quaeque tanta cum animorum commotione vix publici juris facta excepta sunt (licet a pluribus impugnarentur), ut brevissimo tempore per totum Belgium, Galliam, Angliam, ac plures Germaniae partes Cartesiana dogmata philosophi fere omnes professi sint, vel commentationibus curaverint illustranda.

Hinc celebres philosophi Joannes Claubergius, Joannes de Raey, Thomas Cornelius, Christianus Hugenius, Daniel Lipstorgius Cordemoy, Silvanus Regius, Franciscus Bayle, Antonius le Grand, Jacobus Rohault, Robertus Boyle, Henricus Mohre, Molietus, Hartsackerus, Hamelius, Purchotius, Malebranchius omnes ex Cartesiana schola prodierunt.

sed ideas quamplurimas in ipsa creatione a Deo immediate illis communicari, nonnisi sensuum exercitio, et occasione appulsuum externorum excitandas arbitratum esse Cartesium quamplures suspicati sunt. Prodiit hinc celeberrimum etiam in praesens apud nonnullos *idearum innatarum* systema; quod diversimode Cartesii asseclae explicarunt, variisque placitis ornaverunt, forte tamen ex falsa hypotesi, quod Cartesius vere ideas innatas professus sit, quod in Metaphysica examinandum erit.

Malebranchius (6) pariter, et Leibnitius (7),

---

(6) Unus is fuit, ut in postrema nota commemoravimus, cartesianorum dogmatum propugnator acerrimus. Haberi tamen potest, ut qui novam Sectam philosophorum constituerit, eo quia tot suis placitis adjunctis, novisque opinandi rationibus cartesianas theses auxerit, et promulgaverit, ut nihil magis. Quod tamen praecipue de Malebranchio animadvertendum, quod ad enthusiasmum, et fanatismum Cartesii principia perduxit; unde ex ipso ortum habuit et systema Occasionalismi, et Assistentiae, de quo in Metaphysica, ubi de commercio animae cum corpore agemus. Imo ex ejus principiis (recte ne, an male intellectis non inquiro) etiam Idealismus prodiit, de quo inferius in secunda Logicae parte erit dicendi locus; licet quoad corporum existentiam certum sit, quod Malebranchius saltem ex principiis revelatis eam admittendam esse ultro concedit. Opus edidit anno 1673. *De la Recherche de la veritè, de inquisitione veritatis*.

(7) Hic, cui nomen Gotofredus Guillielmus magnam in

diversis tamen ex principiis, quae in explicando animae cum corpore commercio in Metaphysica et exponemus, et confutabimus, omnes immediate nobis ideas a Deo infusas, vel infundi existimarunt.

Sunt demum qua veteres, quave recentiores Philosophi, qui nullas innatas vel a Deo infusas ideas agnoscentes, omnes vel meditationis, vel sensuum ope acquiri arbitrantur. Ita Stoici (8) teste Plu-

philosophicis famam sibi comparavit Lipsiae anno 1646. In pluribus exufflanda peripatetica dogmata demonstravit, novamque philosophandi methodum invexit in scholas auxilio praesertim matheseos. Theodiceam, novam physicam Hypothesim, aliaque opuscula edidit, quae apud ejus Sectatores maximi habita sunt, et in actis Lipsiensibus eorum temporum inserta. In metaphysicis illustrandis maximam suam contulit operam, uti et in Mathematica sublimiori: cum tamen praesertim in Logica, et Metaphysica nimis ingenio suo confidens, acutis nimis, et abstractis ratiociniis indulserit, in opiniones absurdas, falsas, religionique adversas pluries delapsus est.

(8) Zeno Citticus postquam Cratetem Cynicum diu audivisset, nimio Cynicorum rigore, et superbia pertaesus Stilponem Megaricum decennio secutus est, inde Xenocratem Platonicum, tum Diodorum Cronum, tandem Polemonem. Ab his eruditus, et in philosophicis versatissimus Scholam aperuit εν στοα ποικιλη *in porticu varia* a picturis Polygnori sic dicta: unde haec secta primum *Zenonia* ab auctore suo, inde a loco quem frequentabat, *Stoica* est appellata. Cynicorum Secta, ut de hac etiam pro opportunitate dicamus, quam instituit Antisthenes atheniensis,

tarco *de placitis Philosophorum lib. 4. c. 2.*, sic Aristoteles *lib. 4. de anima cc. 5. et 6.*, et Peripatetici omnes, quorum illud vulgatum *nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu.*

---

quem secuti sunt Diogenes, Crates, Metrocles, Menippus, et Menedemus, sic dicta vel a loco *Cynosargen* procul a portis Civitatis Athenarum, ubi erecta est, in Templo scilicet jussu Deae Pythiae statuto Cani albo, qui victimam rapuit Didymo cuidam sacra operanti εν τοῦ κυνος αργου ναω *in Templo Canis candidi*: vel etiam a dogmatibus, quae docebat, propter quae ejus gregales et instar canum vivebant, et continuo in omnes homines latrabant ad ipsos de sceleribus redarguendos. Cynicorum, inquam, Secta, omissis ceteris Philosophiae partibus, Ethicam tantum prosequebatur, in eaque excolenda, utpote quam solam felicitatem dare posse arbitraretur, modum omnem excessit: hinc Antisthenes sordido tantum palliolo amictus, baculo, ac pera armatus promissa barba incedebat, pauperrimamque vitam agens divitias, honores, dignitates veluti vitiorum tegumenta abhorrebat. Diogenes Antisthenem imitatus est, imo ulterius cubiculum relinquens in dolio victitare consuevit. Crates, vendito patrimonio, omnia in cives distribuit dicens *Crates Cratetem liberat pecuniis, nolens Cratetem haberi ab istis, quae tenet*; et Menedemus ad extremam sui Cynismi dementiam cum pervenisset habitu furiarum assumpto circumiens clamitabat, se speculatorem ab inferis adesse, ut delinquentes observaret, quaeque perperam agi videret, redux eisdem nunciaret. Dementiam itaque, et excessus hujusmodi in virtutis prosecutione fastidiens Zeno Citticus Stoicam instituit Sectam; cujus doctrinae summa erat,

Imo, exufflato jam a Petro Gassendo (9), uti

---

ut continentia, ceteraeque virtutes et docerentur, et excolerentur; ûnde illud effatum *Zenone continentior*; comitas tamen etiam adhiberetur cum aliis virtutibus, et praeter Ethicam Logica etiam, naturalesque scientiae magno in praetio haberentur. Plurimos Zeno habuit sectatores: hi tamen non semper in eadem cum Magistro suo opinione permanserunt. Hinc Cleanthes fere ad Cynicos in vitae systemate appropinquavit; et Chrysippus cum ingenio esset singulari, et in dialecticis aliisque naturalibus scientiis maxime versatus, ceteros omnes summo habuit despectui; verum moderatiores fuerunt Stoici et Zeno Tursensis, et Diogenes Seleuciensis, et Antipater Sidonius, et Panaetius Rhodius, aliique, quos inter et Cicero, et Pompejus. Ubi animadverti meretur, sectam etiam Pharisaicam surculum Stoicae fuisse. Fatum Pharisaei cum Chrysippo Stoico admiserunt, quod tamen conciliabant cum libertate indifferentiae. Physicae, et Mathesi juxta Stoica principia operam dabant; alia quoque Stoicorum dogmata sequebantur; sed praesertim ad studium avitae legis incumbebant, quam tamen falsis interpretationibus depravabant. Floruit Secta haec praecipue tempore Machabaeorum Alexandro Jannaeo Aristobuli filio imperium tenente, Videsis Josephum *de Bello Judaico* L. 2. c. 7., *et antiq. Judaic.* L. 13. c. 9.

(9) Dum in Anglia anno circiter 1560. Franciscus Baco de Verulamio Regni Cancellarius *novum Organum*, seu *Logicam* ediderat, uti et *magnam Instaurationem*; quae opera et Logicae, et Physicae Peripateticorum opposuit, factum est, ut cum rei novitate, fama doctrinae, et dignitate, qua auctor fulgebat, eruditi, relicta ut plurimum peripatetica philosophia, ad hoc novum philosophandi genus

etiam a Joanne Lokio (10) idearum innatarum systemate, haec philosophandi ratio recentissimis philosophis adeo in votis est, ut vix alia cum honore defendi posse arbitremur. Quid de hac re sit cum ra-

sese recepissent: exquisiti ingenii homines nonnulli ad nova systemata in Philosophicis invenienda excitati sunt. Hos inter fuit Petrus Gassendus Presbyter Ecclesiae Diniensis in Gallia regia in Academia parisina Matheseos Professor natus anno 1592. Partes hic Epicuri suscepit, ejusque systema de athomis, repudiatis tamen quae cum Religionis principiis minime convenirent, in Philosophiam redivivum reduxit; cumque recentioris Physicae principiis accomodasset, plurimos sectatores habuit; unde *Gassendistica* secta habita est, quam prae ceteris illustrarunt Franciscus Bernerius, Neuraeus, Gualterus, Charleton.

(10) Unus ex celeberrimis philosophis, imo philosophiae restauratoribus dicendus est Joannes Lokius Anglus, qui floruit seculo decimo septimo labente, quique praefulsit in Logicis, et Metaphysicis, et inter cetera suae doctrinae monumenta edidit in quatuor libros distributum Opus gallice redditum a Petro Coste cum titulo *Essai de l' entendement humain*, in quo primo contendit nullam dari ideam innatam; secundo ostendit quomodo ideas nobis comparemus; tertio agit de vocibus, et arte critica; demum de humana cognitione in genere, de veritate, ratione, fide, et similibus. Tum ob ingenii acumen, tum ob perspicuitatem in rebus explanandis, tum ob alias hujusmodi res maximi factus est, et faciendus est Lokius; improbandus tamen etiam in plurimis, et praecipue quod libertatem hominis pessundet, neque discrimen, quale est, inter belluas, et homines agnoscat.

tione sentiendum (praeter ea, quae in aliquibus juxta fidem revelatam explodenda supponimus), Metaphysicae munus est aperire. Interim nos Logici munere fungentes, omnem item quaestionem declinantes, et potissimum, quae evidentia constant, perpendentes; ideas quoad originem in duas classes secernimus, *adventitias* scilicet, et *factitias*. Quarum internum objectum in nobis tamquam prior immediatus, et proximus agens producit, vel excitat quidquid est extra mentem, dicimus *adventitias*; tales sunt ideae sensibiles: *factitias* vero eas, quarum objectum internum mens sibi ipsa potissimum excitat, vel producit; uti evenire solet in ideis universalibus, puta *hominis in genere* etc.

Facto jam evidentissimo demonstro, tales ideas quoad originem admittendas, nullasque alias agnoscendas, adeoque optimam idearum hanc quoad originem divisionem.

Mentem sane nostram hanc facultatem habere, ut cum velit, nonnullas sibi ideas repraesentet, certo certior res est; licet post efformatum objectum internum, donec removeatur, velit, nolit, illud percipiat oportet. Exploratum pariter et illud cuique est, ideas alias vel nolentem, et invitam mentem cogi, ut habeat; licet ipsa nihil prior elicuerit saltem ut principalis agens ad ideam ipsam acquirendam. Dantur ergo ideae, quarum objectum internum sibi ipsi mens comparat, seu excitat; dantur, quarum objectum internum ab alio quodam prin-

cipio menti ipsi extraneo ad conspiciendum primario proponitur, et excitatur: sed primas factitias diximus, alias autem adventitias; dantur ergo quoad originem ideae factitiae, et adventitiae. Demonstrandum jam foret, nullas alias praeter hujusmodi assignatas quoad originem ideas agnoscendas, ut prefata divisio circa earumdem originem accurata dignoscatur. At quid est, quod immorer in re per se clarissima ostendenda? Inter mentem dati hominis, et quid aliud a mente ipsa extraneum medium certe dari non potest: discretio ergo nostra idearum quoad originem, eas dividens in eas, quae a mente sunt, vel ab alio extra mentem in sensu exposito, cum omnes possibiles ideas comprehendat, accuratissima agnoscatur oportet; neque praeter has ullas dari posse ideas quoad originem, evidentissime cuique patere debet.

Quoad originem ergo idearum hanc interim facto certissimo innixam doctrinam teneant dialecticae tirones, quae satis superque esse debet, ut idealogiam pro sui muneris expendendam prosequantur. Forte aliqua inferius de hoc ipso; clarius vero et ex proposito in Metaphysica, ut inquiebam, Platonis, aliorumque Philosophorum partim impia, partim ludicra de origine idearum, et de iis, quae cum ea connectuntur, systemata suo loco, et tempore ad trutinam revocabimus: quae in eis probanda sunt demonstrabimus; quae respuenda ostendemus; sed haec nimis propere in praesentiarum ra-

tiocinandi praecepta nondum imbutis discutienda proponerentur.

CAPUT TERTIUM

De diverso modo, quo per Ideas objecta videntur, seu de Varietate Idearum quod modum repraesentationis.

Si Ideae inter se differant quoad modum, quo videtur objectum, *formaliter* distingui dicuntur. Hoc vero sub respectu aliae *clarae*, aliae *obscurae* dicuntur; aliae *distinctae*, aliae *confusae*; aliae demum *completae*, aliae *incompletae*, pro ratione qua unum tale datum objectum externum intellectui nostro vividius, vel minus vivide proponitur ad cognoscendum. Sed dum unum *tale datum objectum* dicimus, non unam, et integram rem accipi volumus; sed totum id, quod in re hic et nunc est ideae alicujus objectum, quod vel mens sibi proponit, vel ei aliunde proponitur ad conspiciendum; sive illud sit pars, sive totam, et integram rem constituat. Sic quot, puta, sunt in quodam homine partes aut formales, aut materiales, tot possunt esse idearum nostrarum objecta: id quod sedulo prius animadvertatur oportet; quid proprie scilicet, tota ne res aliqua, an pars tantum, et quae praecise nostrae ideae objectum sit, ut solide de ipsius

claritate, obscuritate, confusione, distinctione etc. judicare valeamus. Porro unaquaeque res, quatenus integrum objectum externum ideae alicujus constituit, seu potest constituere, ex una, vel pluribus simul collectis proprietatibus, seu attributis resultat, qua, vel quibus res eadem est illa, et ab aliis omnino sejungitur. Neque vero hic nobis succenseat nescio quis Ontologicus, quasi omnes rerum proprietates *essentiales* dicere velimus, nullaque agnoscamus in entibus attributa accidentalia vel relationes.

Fatemur utique et nos, hanc dari in entibus proprietatum distinctionem, deque illa in Ontologia sermo recurret. At quisque etiam intelliget, ipsas accidentales proprietates, imo et relationes rei alicujus tales quidem esse, si res ipsa consideretur, quatenus ad classem aliquam entium pertinet, non vero ut sit illa praecise res, et ab omnibus aliis etiam ejusdem speciei, vel generis distinguatur; quo in casu omnia prorsus ei sunt essentialia, seu per quodcumque minimum attributum res praecise illa, et non alia constituitur. Sic talis ortus, talis forma, talis sapientia etc. non sunt utique necessaria cuidam homini, ut homo sit; bene vero ut sit ille homo, prout nunc est, omniaque, quibus ille constituitur, praecise efficiunt, ut a ceteris hominibus, ac rebus vel quoad numerum, vel quoad speciem distinguatur. Dum vero de rei alicujus proprietatibus agitur, quatenus ad rei ipsius claram, vel distinctam etc. cogni-

tionem habendam inserviunt, cum semper cognitio sit de objecto dato, adeoque ut singulariter considerato (licet illud in se abstructum sit, vel genericum), omnes proprietates veluti essentiales haberi possunt, seu omnes tales sunt, saltem numerice considerato objecto, per quas res est praecise illa, et ab aliis separatur.

Hisce positis, si objectum aliquod ita menti repraesentetur, ut in eo mens agnoscat aliquam, vel aliquas proprietates, qua, vel quibus res ipsa a ceteris distinguitur, quin tamen illas, si plures agnoscat, invicem valeat secernere; ita tamen ut objectum possit a ceteris, quoties iterum sibi occurrat, separare, *clara* objecti idea haberi dicitur, secus *obscura*. Sic solis ideam *clàram* habet puerulus quisque, quia per modum unius talem proprietatum solis ideam habet, ut licet proprietates ipsas invicem secernere, et enumerare nequeat, possit tamen illum ab objecto quovis facillime distinguere. Contra idea hominis a longe fugientis, quem homo sit, an brutum; corpus quoddam, an phantasma, ignoras; saltem, qua homo, vel brutum etc., *obscura* tibi erit.

Quod si jam in objecto, non per modum unius, sed invicem separatas, potiores saltem proprietates agnoscas, quibus a ceteris distinguitur: ita ut singularum illarum claram ideam te habere noveris, jam rei ideam nactus es *distinctam*; secus *claram* utique, sed *confusam* habebis. Hinc hominis in ge-

nere tunc ideam *distinctam* habebis, cum in eo invicem separare noveris *animalitatem*, et *rationalitatem*, claram utriusque ideam nactus separatim.

Pro ratione autem qua plures numero proprietates hujusmodi in objecto mens secernat, idea ipsa magis distincta evadet: fiet autem *completa*, seu *adaequata*, si omnes, quae valent comuniter agnosci ab his, qui in objecto eodem conspiciendo versati fuerint, proprietates, illasque, quibus hae veluti componuntur, in objecto aliquo mens introspiciat, atque invicem separet. Sic *adaequata*, seu *completa* erit idea, quam quis in matheseos studiis versatus habet trianguli, vel circuli cujusdam, secus distincta quidem esse poterit idea, sed *inadaequata*, seu *incompleta*.

Quod si mens in objecto non solum notas omnes existentes, sed etiam possibiles, relationesque, quae haberi possunt, potuerunt, et poterunt, extiterunt pariter, existunt, vel extiturae sunt, praeclarissime distinguat, et internoscat relate ad quemcumque locum, tempus, et circumstantias, idea haec *comprehensiva* dicetur; quae tamen uni Deo reservatur. Quodcumque enim objectum, utcumque finitum, et limitatum ad Deum infinitum, et perpetuam durationem, futuram saltem, et possibilem habere potest, et habet relationem.

CAPUT QUARTUM

De Idearum diversitate quoad abjecta repraesentata.

Et quoad objecta diversa, quae menti repraesentautur per ideas; istae primo secernuntur in *simplices*, et *compositas*. Illa, quae objectum exhibet, in quo nullas mens partes sive reales, sive formales seorsim cognoscibiles discernit, *simplex* dicitur; talis est, puta, *idea coloris alicujus in se*, *initii*, vel *finis in genere* etc.: *composita* autem vocatur illa, in cujus objecto mens plura habet, quae seorsim separata cognoscere valeret; talis est idea *hominis*, *domus*, *arboris* etc. Ubi tamen sedulo adverte, ideam, seu perceptionem, cum actus sit mentis cognoscentis, semper simplicem omnino esse; compositam autem vocari in casu, ut innuimus; quod revera cum compositum sit objectum sive realiter, sive formaliter, actus, quo mens illud cognoscit, pluribus actibus aequivalet, seu ideis, quibus singulae seorsim partes sive reales, sive formales ejusdem objecti cognosci valerent.

Distinguuntur secundo ideae sub tali respectu in *absolutas*, et *relativas*. Quae objectum tale habent, ut necessario insimul alterius excitet ideam, cum qua ipsum connexum est, et respectum habet, dicitur *relativa*; ita idea *Patris*, *Sacerdotis*, *Regis*,

quam sine idea *Filii*, *Dei*, et *Populi* habere nequis: contra vero dicitur *absoluta*.

Dispertiuntur tertio in *concretas*, et *abstractas*. *Concretae* sunt, quae proprietates subjecto suo inhaerentes exhibent, seu per quas totum videtur objectum, prout jacet, cum suis qualitatibus. Quod si unam vel plures proprietates seorsim a ceteris, vel a subjecto exhibeant, *abstractae* appellari solent, hinc idea *Dei justi* et *misericordis*, *concreta*: *Justitiae* autem, vel *Misericordiae Divinae* idea *abstracta* erit. Abstracta idea magis etiam abstracta fieri potest, si non solum mens abstrahat proprietatem unam vel alteram ab objecto, sicque quasi separatam contempletur: sed ab idea illius objecti abstracti assurgat insuper ad contemplandam naturam datae qualitatis in genere. Video parietem album, idea *concreta* est; considero albedinem parietis, idea *abstracta* erit; concipio tandem ex hoc, quid sit esse albedinem, idea erit magis abstracta.

Quarto distinguuntur in ideas *individuales* seu *singulares*, *universales* (quae rursum sunt, vel *genericae*, vel *specificae*), *particulares*, *et differentiales*. Quidquid sane nos extare percipimus, vel si non extet, possibile est, ut existat, vel percipi potest, tale est, ut a ceteris omnibus entibus per aliquam proprietatem, saltem numero distinguatur. Omne itaque objectum existens, vel possibile, aut perceptibile *singulare* dicitur; vel

Individuum, ejusque idea *singularis* audit, vel *individualis*. Individua haec, sive singularia objecta, licet in aliquo differant, in una tamen, vel pluribus proprietatibus conveniunt semper; sic omnia entia conveniunt in *esse*; omnes, puta, homines conveniunt in *animalitate*, et *rationalitate*; homines, et bruta in *animalitate* tantum etc. Hinc classes quaedam entium constituuntur, quae majorem, vel minorem eorum numerum pro similitudine proprietatum comprehendunt, quaeque *Genus*, vel *Species* solent appellari pro arbitrio, cum hoc tamen, quod illae classes entium, quae licet inter se differant in aliquo, attamen utpote convenientes in aliquo alio, in una magis extensa entium classe comprehenduntur, *species*; haec vero, quae illas comprehendit, *genus* vocari soleat a Philosophis, dum in eodem sermone de utraque classe sermo fit; sic in eodem sermone *animal*, et *homo*, primum erit *genus*, alter vero *species*.

Porro idea, quae habetur proprietatis, vel proprietatum, in qua, vel quibus plura entia conveniunt, et speciem constituunt, vel *genus*; si consideretur, vel considerentur, quatenus competit, vel competunt omnibus individuis, quae in illa specie, vel in dato genere continentur, idea dicitur *specifica*, vel *generica*, et comuni nomine utraque *universalis* appellatur. Talis erit ex. gr. idea *animalitatis*, seu *animalitatis* simul, et *rationalitatis*, prout convenit omnibus individuis vel

animalitate, vel animalitate, et rationalitate donatis, seu idea omnium animalium, vel omnium hominum.

Ceterum non semper mens vel universum genus aliquod, vel speciem considerat, sed aliquando partem tantum illius. Ita cum considerat *aliquos homines*, *nonnullos milites*; haec autem idea dicitur *particularis*; dummodo to *aliqui homines*, *nonnulli milites* non considerentur, prout habent aliquam sibi propriam qualitatem, per quam a ceteris hominibus, vel militibus distinguuntur: tunc enim speciem peculiarem constituerent, illorumque idea esset universalis. Sic idea hominum, puta, romanorum habet pro objecto hominum partem; est tamen universalis, cum consideret omnes illos homines, qui hanc peculiarem habent proprietatem, quod romani sint, et per quam a ceteris hominibus separantur. Quod si mens comparationem faciens inter genus, et genus; speciem, et speciem; individuum denique, et individuum, qualitatem, vel qualitates agnoscat, qua vel quibus inter se illa differunt, et quidem quatenus differentiam hujusmodi constituunt, idea *differentialis* dicetur: quae sicuti triplici in casu haberi potest, seu in triplici comparatione, hinc erit *differentialis*, vel *individualis*, vel *specifica*, vel *generica*.

Demum ratione objecti ideae distingui solent a Logicis in *directas* atque *reflexas*. Dum *Petrum*, *domum* etc. ex. gr. percipio, dico me habere i-

deam *directam Petri*, vel *domus*; quod si ideam ipsam considero, seu dum reflectens super ipsam ideam, quam concepi, cognosco me habere ideam Petri, domus. Haec secunda idea, quae pro objecto habet primam ideam, dicitur idea *reflexa*, denominatione sumpta a motibus directo, et reflexo: quasi enim mens, dum reflexam, quae dicitur, ideam habet, ideam directam prius habitam a se reflectit, conspiciendamque sibi proponit pro objecto alterius ideae, quae dicitur reflexa. Atque haec sunt, quae circa ideas, earumque praecipuas classes, Logicus probe noscat oportet: nunc ad earum externa signa progrediamur.

SECTIONIS PRIMÆ

PARS ALTERA

DE IDEARUM SIGNIS, SEU DE VOCIBUS

CAPUT UNICUM

De Natura, Utilitate, et Usu Vocum.

Cum homo ad societatem conditus a Deo fuerit; nec possit stare societas, quin quisque alteri proprias, quibus afficitur, ideas communicet, modum tribuere voluit supremum Numen ideas invicem communicandi. Idem dicatur de ceteris mentis humanae operationibus; unde quae hic de Vocibus, aliisque hujusmodi relate ad ideas, seu quatenus idearum signa sunt, dicentur, etiam relate ad judicia, ceterasque mentis operationes cum proportione dicta intelligantur.

Ad hunc porro finem plura media tribuit natura homini; sic facultates gestus edendi, saltandi, canendi, pingendi, sculpendi, scripturam, hieroglifica efformandi, aliaque similia, quibus omnibus suas exprimit homo ideas.

Verum ad eumdem finem nihil magis accomodatum, quam voces, quarum tanta varietas, tan-

tamque eas pronunciandi in nobis experimur facilitatem, ut vix unice et indefinitam perceptionum nostrarum seriem, earumque celeritatem exaequare videantur. Hinc de vocibus tamquam de idearum signis potissimum disseritur, cum praeter eas vel oretenus, vel scripto traditas, saltem in communicatione idearum, quae majoris momenti sunt, vix aliud quidpiam soleat adhiberi; facile autem sit cuivis praecepta, et notiones, quae de vocibus traduntur, ad alia idearum signa transferre, et accommodare.

Sed quaerunt jam Philosophi, num voces signa sint *naturalia*, an *arbitraria* perceptionum, seu rerum, quae iisdem perceptionibus repraesentantur? Plures certe sunt res, quas dum percipimus, in nobis ideam alterius rei quam indicant excitare solent. Quaedam ex natura sua id efficiunt; quaedam autem, quasi ex condicto, et arbitrio hominum, seu inventoris dati signi; quaedam demum id habent, ut unum a natura, aliud vero ex arbitrio hominum significent. Sic *ramus viridis* naturaliter et arboris, et pomi ideam excitat, venalis autem vini in porta cauponae, idque ex arbitrio hominum. Res, quae ex natura, seu quatenus ex uatura alterius rei ideam excitant, *naturalia*, aliae vero *arbitraria* idearum signa vocari solent.

Illud etiam certum est, hominem facultatem habere a natura sonos ore tum *articulatos* (quos

ajunt), tum *inarticulatos* edendi: quod tali modo fit. A pulmonibus canalis quidam, quem *tracheam* vocant, seu *asperam arteriam*, protenditur ad linguae extremitatem usque, ubi amplior fit, membranaque tegitur, quae dicitur *larynx*, ejusque rima seu ostium *glottis*: circa glottidem musculi, et cartilagines versantur ad eam vel laxandam, vel restringendum. Pro ratione autem, qua aer e pulmonibus ad instar follis sese moventibus perpetuo emissus per glottidem magis, minusve apertam transit, diversum fremitum edit; tunc vero inarticulatos sonos constituit, veluti suspiria, gemitus, vocalesque omnes. Quod si lingua sic e glottide emissum, frementemque aerem vel ad palatum, vel ad nares, vel demum ad dentes impellat, sonus ille, seu fremitus modos diversos acquirit, fitque articulatus; unde consonantes, sillabaeque distinctae efformantur, audiunturque.

His autem positis, si explicentur termini, facilis solutionis quaestio erit. Si quaeratur nimirum, num a natura sit homini, ut per quemdam exteriorem sonum animum suum indicet? Et patet, quod sicut in brutis, ita et in homine hoc a natura est; imo et illud a natura habemus, ut quasdam animi affectiones quibusdam, inarticulatis tamen, sonis necessario indicemus in circumstantiis determinatis; sicut pariter in brutis evenit: id quod accidit in suspiriis, gemitibus, risu etc.; licet iisdem possit homo pro lubitu, et arbitrio uti, dum

modo habeatur condictum ad alias etiam ideas, et affectiones indicandas.

Si autem quaeratur, num vocum articulatio in eo, quod mollior, vel asperior sit; quod gravior, vel acutior etc., sit nec ne a natura? Et hoc pariter naturale homini esse dicam pro temperamento, climate etc. uniuscujusque regionis etc.

Ast si dicatur naturale esse, quod determinatae voces hac vel illa syllaba, et sono constantes hanc, vel illam ideam, hujus, vel alterius ideae objectum exprimant, et non potius ab hominum, vel linguarum inventoris arbitrio pendeat, auditum admissi risum teneatis amici.

Id sane totum pendere ab arbitrio manifeste conficitur ex linguarum infinita propemodum varietate. Voces, quae Italis aliquid significant, Lusitanis, Gallis, Germanis etc. vel nihil, vel omnino diversum. Quidquod? In eadem regione, et urbe aliis vocabulis Philosophi, aliis Politici, aliis Plebeij, aliis Nobiles utuntur ad eamdem rem significandam; imo cuique licet novas rebus imponere voces, variisque vocabulis suas ideas exprimere, dummodo sit cum audiente conventio de vocum ipsarum significatione. Adeo verum est, voces signa esse arbitraria idearum.

Voces itaque signa sunt idearum, seu objectorum idearum. Sed dum vocem audis, vel scripto legis, falleris si arbitreris, te unam ideam per illam vocem assecutum, vel aliquando unam rem

per plures voces non manifestari. Primo enim si materialiter rem consideres, nosces, quod licet per errorem arbitreris, per quamque vocem ideam in te unam excitari, plures tamen eas esse invenies. In puello rem considera, et clare noveris ex. gr. mater coram infante pronuntians vocem *panis* digitnm in panem intendit. Primo infans vocis tantum ideam habet; at eam assuescens audire, dum panis ostenditur, memoria haec duo conjungens, unam se ad vocem panis habere ideam arbitratur, nempe rei, quae indicatur, cum vere duas habeat et *panis*, et *vocis*. Procedens aetate, et quid sit habere cognitionem reflectens, ad vocem panis non jam duas tantum, sed et triplicem habet ideam, *vocis* nimirum, *panis*, et quod proferens hanc vocem, ideam panis, quam habet, vult indicare; nihilominus arbitratur primo obtutu per errorem, se unam panis ideam habere: similiter evenit in eo, qui addiscat linguam sibi ignotam. Ait ei praeceptor vocem, puta, *penna* latine reddi *calamum*, hic dum linguam inexpertus docetur, audiens *calamum* habet primo ideam *soni*, secundo vocis *penna*, tertio *rei significatae*, quarto *quod is*, *qui eam protulit*, *notionem indicare voluit rei ejusdem*. Hasce easdem ideas habet etiam, dum bene edoctus latine loqui eamdem audit calami vocem; at eas minime advertit, et praecipue intentus ad sermonis scopum, se unius rei per to *calamum* significatae idem opinatur habere.

Ast materiali vocum consideratione omissa, et supposito etiam vocem nonnisi rei ideam excitare, certum est secundo formaliter voce inspecta, unamquamque plures quandoque ideas portendere. Praeterquamquod enim usuvenit in unaquaque lingua, ut per unam vocem compendiose plures ideae passim exprimantur, ut cum dico *amo*, significo *ego sum amans*; de quo inferius erit dicendi locus. Praeterquamquod voces dantur *aequivocae*, quae scilicet ad plura diversa indicanda adhiberi solent, ut vox *spiritus*, quae modo *ventum*, modo *animam*, modo *halitum* etc. significat. Ex more etiam uniuscujusque gentis, et linguae uni, et eidem voci quandoque plures ideae alligatae sunt: ex. gr. haec vox *stulte* hominem vocari indicat rationis usu carentem; at secundario quandoque indicat, illum qui eam in alium profert, contumelia velle ipsum afficere, sicque despectum habere. Nota tamen hanc secundariam verborum significationem quandoque gestui, oris conformationi, contextui sermonis, loci, temporis etc. alligari.

Contra vero certum est quandoque, imo saepius evenire solet, quod non una utaris voce ad unam ideam exprimendam. Sic ex. gr. si ornatus templi alicujus, quam habes, ideam amico velis communicare, integra tibi oratio necessaria erit; nedum una, vel altera voce rem expedies; id quod in ideis omnibus compositis explicandis necessum plerumque fore quisque intelligit, ut plures sci-

licet voces adhibeantur ad distinctam saltem earum ideam communicandam, cum voces aptae non dentur, quae unumquodque objectum compositum repraesentent. Verum equidem voces singulas, quae in tali casu adhibentur, per se objectum integrum ideae possibilis denotare, uti pars quaelibet objecti ideae compositae, ut superius notavimus, integrum esse posset ideae alicujus objectum; at sicut hic, et nunc in idea composita omnes simul partes unicum compositae ideae objectum constituunt, ita omnes illae voces unicam ideam repraesentant. Hinc distinguere solent Philosophi inter *vocem*, et *terminum*: *terminum* namque dicunt vocem illam, vel voces, quibus integra idea significatur; uti plures agnoscunt terminos in illa voce, quae formaliter considerata plures hic, et nunc ideas proponit.

Licet autem unaquaeque vox, vel plures simul ideam aliquam, seu rem significent, unde distingui solet inter *terminos simplices*, et *compositos*; prout una scilicet, vel pluribus vocibus componuntur; dantur tamen, inquiunt Philosophi, termini omnino *inanes*, et qui nullam rem nec existentem, nec perceptibilem denotant, uti si dicas *ferrum aureum*, *circulus quadratus* etc.; quibus certe vocibus simul conjunctis nulla res, vel idea respondet. Verum re propius inspecta patet, voces hujusmodi singillatim sumptas rem aliquam, seu ideam semper denotare; licet unitae ideam respondentem non habeant.

Sed jam diversa vocum genera considerare oportet, quibus in unaquaque lingua uti homines solent, sicuti etiam et terminorum, ut clarius et natura, et usus eorum intelligantur.

Quoad terminos itaque primo; sicuti ideae vel sunt *absolutae*, vel *relativae*, vel *abstractae*, vel *concretae*, vel *singulares*, vel *universales*, et quidem aut *genericae*, aut *specificae*, vel *particulares*, vel *differentiales*, idem de terminis dicendum est, cum termini non sint, nisi ideae, seu idearum objecta voce, vel vocibus manifestata.

Quia vero mens aliquando rem, aliquando rei carentiam considerat, sed et ipsam carentiam, veluti rem aliquam existentem; hinc alia additur terminorum divisio in *positivos*, et *negativos*, uti *doctrina*, *ignorantia*; quorum secundus *negativus*, aliter vero dicitur *positivus*.

Cum idem non semper sit terminus, et vox, hinc vocibus consideratis, alia earum divisio facienda est, quam a Grammaticis mutuabimur, qui tamen a rei natura usurpaverunt.

In octo itaque partes orationem quamvis Grammatici dividunt, seu octo diversas vocabulorum classes enumerant; *nomen* scilicet, *pronomen*, *verbum participium*, *adverbium*, *praepositionem*, *conjunctionem*, *et interjectionem*. Philosophice haec igitur tantisper a grammaticalibus tricis sejuncta consideremus, ut varias vocum classes liceat constabilire. Voces itaque, quibus rem aliquam, vel existen-

tem, vel possibilem, vel perceptibilem indicamus, *nomen* appellant: et quia res vel sunt *substantiae*, quae scilicet per se existunt, vel existere valent, ut *Antonius*, *Coelum* etc., vel sunt *modi*, qui per se existere non possunt, nisi subjecto alicui inhaereant, uti *pulcher*, *doctus* etc.; hinc prima dicuntur nomina *substantiva*, secunda *adjectiva*. Inter substantiva etiam adnumerantur voces, quae modum in abstracto consideratum denotant, uti *pulchritudo*, *doctrina* etc. Cum autem non semper expediat substantias, vel modos suo nomine appellare, hinc *pronomina* inventa sunt, seu *relativa*, quae loco nominum usurpantur. Porro cum substantiae, vel modi non semper cum eadem relatione ad reliquas ideas concipiantur, proindeque et manifestari debeant, brevitatis ergo, cujus semper studiosissimi fuerunt homines in rerum ideis manifestandis, *casus* invenerunt, seu diversas nominibus, proindeque et pronominibus inflexiones pro relationum hujusmodi varietate dederunt, vel voculas quasdam, quas *articulos* dicimus, iisdem addiderunt, quibus et res, et varia ejusdem ad alias res relatio indicaretur.

Concipimus saepenumero discussione facta, duas inter se res convenire, vel non; ideam porro hujusmodi per vocem *sum*, *es*, *est*, seu aequivalentem, in casu tamen negativo cum additione voculae *non* indicamus. En itaque vox, quae *verbi* nomine appellari consuevit: quia vero non semper de una re

cum alia, sed aliquando de pluribus hanc convenientiam noscimus, vel disconvenientiam; modo vero noscimus, hic, et nunc res ita se habere; modo vero ita se habuisse, vel in futurum habituras; uti pariter aliquando indicanda est nobis idea, quam habemus, convenientiae, vel disconvenientiae hujusmodi; vel voluntatis, quae jubet, ut res conveniat, vel non; vel desiderii, quo vellemus hanc eamdem convenientiam, aut disconvenientiam; vel relationis alicujus, quam habeat ipsa haec eadem convenientia, vel disconvenientia cum alia idea: sicuti demum modo de una persona, modo de altera eadem convenientia vel disconvenientia sic cognita indicanda est, hinc numerum, tempora, modos, et personas in verbo per varias inflexiones, vel etiam per alicujus particulae additionem distinguere consueverunt.

Novi equidem plura dari verba in quavis lingua praeter *sum*, *es*, *est*; at ista non sunt vera *verba*, sed tantum voces quae ad instar verbi *sum*, *es*, *est* per modos, tempora, personas, et numerum inflectuntur, quia loco verbi *sum es est*: quod ideo tantum verbum dicitur *substantivum*, usurpantur cum adjecta compendii gratia per unicam expressionem significatione rei, quae convenire dicitur cum altera, vel non convenire; quae idcirco apud nonnullos *verba adjectiva* dicta sunt. Ita cum dico *amo* idem est, ac *ego sum amans*: quod et

in quovis alio verbo locum habere, facile consideranti patebit.

Ad instar nominum *Participia* inflectuntur; re tamen vera in suo significatu ab adjectivis verbis non differunt, ut per se manifestum est. Quia tamen adhiberi solent ad indicandum ideam rei, vel personae, quae dum aliquid vel facit, vel patitur, ad aliam etiam rem convenientiae, vel disconvenientiae habet relationem, proindeque inflectuntur ut supra, ideo *participia* dicta sunt, quasi insimul de verbo, et nomine *participantia*.

Non in eodem ordine, et gradu semper concipimus rerum modos; insuper modos varios nonnumquam concipimus in ipsis modis; in unaquaque ergo lingua particulae quaedam semper constantes, et ideo *indeclinabiles* dictae, inventae sunt, quas idcirco *Adverbia* appellavere, quia aliquando modis, seu adjectivis nominibus ipsos indicantibus; sed ut plurimum verbis, adjectivis tamen, addi solent ad ordinem, gradum, vel modum denotandum illius modi, cujus significatio in verbis adjectivis ipsis adnectitur.

Uti adverbia, indeclinabiles particulae sunt etiam *Praepositiones*, *Conjunctiones*, et *Interjectiones*.

Primae eumdem usum habent ac casus in nominibus, pronominibus, et participiis, ad indicandam scilicet diversam, quam concipimus in unaquaque idea, seu re, ad aliam relationem. *Con-*

junctiones vero adhibentur ad exprimendam ideam unionis ideae unius cum altera. Quia vero multiplicis generis haec unio concipitur, hinc inventae sunt varii generis conjunctiones pro varietate unionis, quae concipitur inter ideas. Hinc aliae sunt *copulativae*, uti *et*, *atque*, *etiam*, *cum*; aliae *disjunctivae*, uti *aut*, *an*, *nec ne* etc.; aliae *conditionales*, uti *si*, *nisi*, *dum*, *siquidem* etc.; aliae *adversativae*, uti *at*, *vero*, *atqui* etc.; *illativae* aliae, uti *ergo*, *igitur* etc.; aliae demum *causales*, uti *namque*, *quia*, etc. Ad explicandos tandem quosdam animi motus, quos nonnisi longa quandoque verborum ambages explicaret, *Interjectiones* adhiberi consueverunt, uti sunt *heu*, *age*, *mehercle* etc.

Haec quoad vocum divisionem dixisse sufficiat, quae licet accuratissima non sit (quaevis enim ex notatis vocum classibus in varias species secerni solet) cum tamen vocum genera omnia complectatur, satis Logico esse debet, ut assuescat ad naturam vocum analysi quadam introspiciendam (11).

---

(11) Leibnitius universalem quamdam linguam imaginatus est, seu melius dicam, modum universalem scripto exprimendi, aliisque communicandi quodcumque fuerit communicandum: quo semel quis imbutus cujuscumque foret nationis, et idiomatis, posset cuique etiam alterius idiomatis, communicare quidquid vellet; et quicumque eodem modo universali imbutus, legere, et intelligere valeret, quidquid sic

Nunc de vocum usu dicendum nobis foret, quatenus ad veritatem vel ab aliis nobis manifestatam agnoscendam, vel aliis manifestandam inserviunt. Omittimus tamen hic de primo usu vocabulorum agere, seu quomodo pro veritate tuto

---

scribens, licet diverso idiomate donatus, exprimere voluisset. Sane in Mathesi brevitatis ergo signa nonnulla inventa sunt, quorum usu tam Romanus, quam Gallus, et quilibet alterius cujuscumque nationis, et idiomatis potest suas communicare ideas, et ab omnibus, cujuscumque tandem locutionis sit, intelligi, etiamsi non noverit linguam scribentis, dummodo signorum illorum noverit significationem. Scribit ex. gr. romanus Mathematicus signa illa additionis +, substractionis –, multiplicationis ×, divisionis :, aequalitatis = etc.; iam ex condicto, quod inter matheseos professores est quisque mathesi studens, cujuscumque demum sit nationis, et linguae, legit lingua propria *plus*, *minus*, *multiplicatum per*, *divisum per*, *aequale* etc. Si ergo, inquit Leibnitius, pro singulis rebus indicandis, sive substantiae illae sint, sive modi, specialia aliqua signa invenirentur, et quidem cum aliqua particulari modificazione addenda pro diversis earum casibus, et numero: similiter pro verbo *sum*, *es*, *est* cum variis modificationibus pro modis, temporibus, personis, et numero ejusdem: item pro conjunctionibus, et nonnullis tantum ex adverbiis, atque pronominibus (etenim necessaria non forent signa pro verbis adjectivis ut plurimum, et pronominibus, participiis, adverbiis, praepositionibus, et interjectionibus, quae non pro necessitate, sed ad abundantiam, et ornatum tantum in quacumque lingua adhiberi solent, praesertim ad monotoniam

habenda accipi debeant, dum ab aliis proferuntur, de tali enim usu vocum opportunius dicemus in altera Logicae parte, ubi de modo per media nobis data a natura veritatem noscendi sermo erit: pauca hic igitur de vocum usu adnotabimus, quatenus ad veritatem manifestandam adhibendae sunt. En itaque quae requiruntur in usu vocum ad veritatem edocendam.

Primo idea rei manifestandae, vel adjuncto-

---

declinandam); jam per haec signa facta unicuique communia, quis, puta, romanus posset singula, quae mente gereret, et significare vellet, chartae alicui consignare; et quin ipse sciverit linguam nationum omnium, intelligi posset ab omnibus cujuscumque nationis; et sic vicissim, apprehenso ab omnibus hoc unico scribendi modo, illo adhibito omnes intelligerent singulos, et ab omnibus intelligerentur. Maximi forte emolumenti foret hujusmodi Leibnitii excogitatum; nondum autem invenit, Ulaccum quem, vel Briggium tabularum logaritmorum inventores, aut alterum ejusdem patientiae hominem, qui improbum necessarium laborem susciperet ad tot hujusmodi signa statuenda, difficillima certe, quae confusionem sibi invicem non ingererent, vel menti eorum, qui illis intelligendis operam daturi essent: praeterquamquod necessum foret, ut in singulis diversarum linguarum Nationibus proprium lexicon in illud sic commune, et universale transferretur: quae quidem difficultas maximi momenti effecit, ut neque Leibnitius, neque quis alius adhuc hanc linguam, seu scribendi methodum universalem ad praxim curaverit redigendam.

rum ejus, ut inferius dicetur, distincta saltem efformetur.

Secundo adhibeantur voces, quae juxta acceptionem eorum, ad quos sermo dirigitur, certo correspondeant cum idea manifestanda. Rei cujuslibet exprimendae idea vel est simplex, vel composita. Si composita, cum ejus objectum resultet ex variis qualitatibus, nisi singulae, vel saltem principaliores exprimantur, rei notio aliis non poterit exacte communicari. Porro qua ratione vox, vel voces invenientur ad hujusmodi proprietates exprimendas, nisi prius illae perbelle ad invicem distinguantur? Si autem simplex idea sit, concedo, ideam distinctam objecti illius quoad esse sui in se nec efformari posse, nec tradi, ejus scilicet natura inspecta: poterit tamen efformari relationum, et circumstantiarum ejusdem, quae distincte erunt exponendae; ne adhibendo vocem exprimentem rem in se, fiat, ut quis eam audiens, vel legens vocem hujusmodi, re ipsa indicata tantum, et non descripta, nullo modo eam noscere valeat. Haec tamen regula omitti poterit, ubi supponatur audientes, vel legentes satis noscere et rem, de qua quis loquitur, et termini, qui adhibetur, significationem.

Voces insuper sunt signa arbitraria idearum; nisi ergo iis utar vocibus, quae juxta audientium acceptionem exprimant id, cujus idea communicari debet, inutiliter verba faciam.

Hinc primo probe calleat quis oportet linguam eorum, quos alloquitur, et quidem juxta praecisam significationem verborum, quae in ipsa lingua adhibentur. Secundo noscat oportet quis etiam capacitatem audientium; aliud enim vulgus, aliud eruditi, aliud quandoque unus, aliud alter sub eodem nomine intelligunt, satis quaedam similiter docto sunt, non item indocto. Hinc tertio nisi ex contextu, vel alia circumstantia res pateat, vel modo intelligibili apud audientes exprimi valeat, circumscribenda erit saepius idea, vocum significatio definienda juxta leges, quas inferius tradèmus de definitione; quod semper faciendum in vocibus aequivocis, et terminis quibusdam peculiaribus, qui in artibus, et scientiis brevitatis, et compendii gratia arbitrarie, vel ex quadam analogia adinventi sunt, et adhibentur, quique *technici* vocantur.

SECTIO SECUNDA

DE JUDICIO, ET PROPOSITIONIBUS.

CAPUT PRIMUM

DE JUDICIO

Perceptio convenientiae, vel disconvenientiae, quae reperitur inter duas ideas; seu cognitio reflexa, quod in una idea, seu quod in objecto unius ideae alterum includatur, vel non, *Judicium* solet appellari. Sic si habens *justitiae ideam*, et *Dei*; similiter *Dei*, et *injustitiae*, mente noverim, *justitiam*, non vero *injustitiam* in *Dei* idea includi, mens mea juxta hanc judicii notionem judicasse dicenda erit. Verum hic primo sedulo distinguendum est inter judicii praerequisitum, vel effectum, ipsumque judicium; seu inter cognitionem, quae judicium praecedit, et sequitur, sed sine judicio etiam haberi potest, atque judicium ipsum. Utique quod ex judicio resultat, atque ipsum praecedit, et quod communiter judicium vocari solet, non est nisi idea convenientiae hujusmodi, vel disconvenientiae unius ideae cum alia: at non omnis idea convenientiae, vel disconvenientiae hujusmodi judicium supponit, et numquam talis idea judicium est; aliud est enim videre, quod duo inter se conveniant; seu

quod unum includatur in altero, vel non; aliud affirmare, vel negare ex propria sententia hanc convenientiam, vel disconvenientiam; in quo proprie judicium consistit. Primum puero cuivis, imo et bruto quoad sensibilia potest esse commune, non item secundum: quod primarium est discrimen inter hominem ratione utentem, et belluam; uti et eum, qui rationis usu careat. Intimo sane sensu novit quisque, aliquid aliud sibi agendum, praestandumque, ut vere judicasse dici possit, praeter cognitionem convenientiae, vel disconvenientiae rei unius cum altera, quam habeat. Analysi ergo instituta mentis humanae, dum judicat, constat, eam habita cognitione duarum rerum, de quibus judicandum est sibi, etiamsi ei jam cognoscenda proponatur ab ipsis objectis convenientia, vel disconvenientia earumdem inter se, actum quemdam ulterius elicere debere, per quem hic, et nunc ideam factitiam, et reflexam convenientiae, vel disconvenientiae earumdem sibi producat, eamdem convenientiam, vel disconvenientiam insuper affirmando, vel negando. Actus hujusmodi proprie est judicare; cognitio vero hinc producta, sive praecedens non est, nisi judicii effectus, vel praerequisitum, licet pro judicio a nonnullis habeatur, ut superius innuimus.

Hinc secundo ad judicium habendum quatuor requiri constat: primo duas saltem ideas, circa quas judicandum: secundo actum, quo mens hasce duas

ideas invicem comparet: tertio cognitionem convenientiae, vel disconvenientiae idearum hujusmodi inter se: quarto actum, quo ex propria sententia intellectus affirmet, vel neget, ideas praefatas invicem convenire. Tria priora praerequisita sunt necessaria quaedam ad judicium; at judicium proprie in hoc tantum postremo consistit.

Licet vero judicium praecise in affirmatione aliqua, vel negatione consistat, cum tamen actus hujusmodi semper ad duas ideas referatur, illae quoque tamquam partes judicii quodammodo habentur, unaque; illa nimirum, de qua aliquid affirmatur, vel negatur, *subjectum*, vel *objectum* judicii, altera vero *praedicatum* *audit*.

Hinc tertio patet, judicii actum proprium non esse nisi eorum, qui rationalitate fruuntur, perfectoque ejusdem usu relate ad id, de quo judicandum sit, potiuntur. Affirmare enim ex propria sententia visis videndis, vel negare duorum, vel plurium convenientiam, intimo ipso sensu sic proprium noscitur ratione utentium, ut nihil magis: hinc licet stulti, et pueri, imo et bruta ipsa quandoque de rebus saltem sensibilibus judicare videantur, actum tamen judicii tales vel non elicere, vel quoad pueros, et stultos elicere in rebus minoris momenti; non tamen saltem in rebus intellectu difficilioribus, adeo omnibus etiam femellis, nedum dicam rudioribus de vulgo, docente intimo sensu, persuasum est, ut neque standum eorum judiciis sentiat quis,

et de eisdem omnes illud dicterium adsumunt, commiseratione potius dignos esse, quia ut vulgari expressione utar, *non hanno giudizio*.

Hinc quarto veram, germanamque ideam actus judicii non habere se produnt, qui in quaestionem vocant, num actus judicii *simplex* dicendus sit. Semel enim statuto, quod hic actus non consistit, nisi in affirmatione, vel negatione interna, qua quis post cognitionem convenientiae, vel disconvenientiae duorum, easdem de iis affirmat, vel negat; quid simplicius, et magis indivisibile hoc ipso poterit excogitari? Circa duo saltem versatur hic actus, sed actus in partes nulla ratione secernibilis potest apprehendi. Fateor quandoque mentem ancipitem remanere in judicando, sibique videri posse unam ideam alteri partim convenire, partim vero non item: at in hoc casu vel duo mens judicia efformat, unum de convenientia partis unius subjecti cum praedicato, alterum de disconvenientia alterius partis; vel judicium nullum de re ipsa eliciendo, de qua foret sibi judicandum, alterum efformat; sibi nimirum non adesse rationes sufficientes ad datum judicium eliciendum: sed actus isti omnes singulariter sumpti simplices semper analysi facta introspicientur.

Hinc quinto similiter falluntur, qui in quaestionem vocari posse autumant, num judicii actus spectet ad intellectum; quasi posset sustineri, quod pertinere valeat ad voluntatem; non enim quis ju-

dicat rem ita se habere, vel non habere, quia sic vult rem esse, sed quia videt, et cognoscit ita rem esse, et non aliter; unde contra etiam voluntatem propriam quis judicet, quandoque necesse est. Item noscitur, judicium non esse actum complacentiae, displicentiae, odii, amoris, desiderii, etc., qui sunt actus, quos per voluntatis facultatem anima elicit. Judicio efformato forte hi actus insequentur, et toties ad judicandum inducent; at non certe judicii actum constituent, ut patet. Dantur utique judicia *temeraria*, quae dicuntur; adeoque vituperatione, paenaque etiam digna, et ad demeritum imputabilia: quo se tuentur, qui ad voluntatem judicium pertinere contendunt, cum sola voluntas demeriti, vel meriti capax, similiter laudis, vel vituperii ab omnibus agnoscatur. At animadvertant qui sic arguunt, oportet, judicia hujusmodi non esse imputabilia, demeritumque importare, quatenus judicia sunt, sed quatenus voluntas eorum, qui sic per intellectum judicant, praemitti noluit examen eorum, quae necessario erant examinanda ad veram habendam ideam convenientiae vel disconvenientiae eorum, de quibus judicant, et sic non sufficienti examine praemisso ex una tantum apparentia; sic dictante ignavia, cupiditate, odio etc.; omissa voluntarie consideratione omnium, quae erant examinanda, praecipites in judicium irruerunt: unde ju-

dicia sic elicita *temeraria* dicuntur; hoc est temere, et sine fundamento elicita.

Inter plurima, quae de judiciis dicenda forent, unum hic adnoto, judicium scilicet quodvis vel *affirmativum* esse, vel *negativum*, ut manifesto liquet; cetera enim vel ad secundam Logicae partem spectant, vel clarius apparebunt in sequenti Capite, cum de propositionibus agetur.

CAPUT SECUNDUM

De Propositionibus.

Sicuti ideae, ita et judicia vocibns exprimuntur, ut innuimus (12). Porro vox, vel voces, quae unum aliquod judicium exprimunt, dicuntur *Propositio*. In qualibet ergo propositione primum exprimi debet affirmatio, vel negatio, quae per solum verbum *sum*, *es*, *est*, vel cum additione particulae *non* exprimitur; atque expressio hujusmodi *copula* dicitur. Verum cum affirmatio, vel negatio ad quid referantur, per unam copulam patere nequeat, nisi et subjectum, et praedicatum judicii exprimantur; hinc in propositione praeter copulam duo quoque termi-

(12) Idem dicito de aliis mediis, quae ad eumdem finem adhiberi possunt. Recole tamen cetera, quae de vocibus notavimus initio Capitis *de Natura*, *utilitate*, *et Usu Vocum*.

ni sint oportet, qui et ipsi *subjectum*, et *praedicatum* propositionis appellantur; sic dicendo *Deus est justus*, *Deus non est injustus*, *Deus* erit propositionum hujusmodi *subjectum*; *est*, vel *non est copula*, *justus*, vel *injustus praedicatum*. Non semper tamen, ut dictum est, ubi de vocibus agemus, haec tria expresse in propositione haberi solent; sed aliquando in duabus, vel una voce cetera subintelliges; ut cum dicitur *amo*, *es doctus*, *etc.*; quod idem est, ac si dicas *ego sum amans*, *tu es doctus*: imo et illud adverte, aliquando una etiam, ne dum duabus etc. vocibus plura simul judicia exprimi; ut si dicam *sede* idem foret, ac dicerem, *ego sum imperans*, *quod tu sis sedens*.

Circa propositiones quatuor sedulo occurrunt examinanda, *materia*, scilicet, ut Logicorum locutionibus utar, *qualitas*, *quantitas*, et *oppositio*: ratione quorum varias in classes secernuntur: quae omnia etiam de judiciis cum proportione dicta intelligantur. Sit itaque

ARTICULUS I.

De Propositionum Materia.

Materiam propositionis ipsi termini, seu voces, quibus ipsa absolvitur, constituunt: ratione cujus dividuntur Propositiones in *simplices*, *compositas*, et *complexas*. Quae unum habent et subjectum,

et praedicatum, *simplices* dicuntur; secus, si plura subjecta, vel plura praedicata; aut plura simul subjecta, et praedicata habeant, sunt *compositae*; quae quidem *copulativae* etiam dicuntur, vel *disjunctivae*, si plura, quae habent subjecta, vel praedicata, per particulas copulativas, vel disjunctivas conjunguntur. Hinc propositio *Cicero fuit eloquens*, erit *simplex*, *Cicero* ac *Demosthenes fuerunt oratores*; vel *Cicero fuit orator*, *et philosophus* erunt *compositae copulativae*. *Brutum vel est machina*, *vel animatum* erit *composita disjunctiva*. Aliquando eadem propositio potest insimul esse copulativa, et disjunctiva; nempe copulativa quoad subjectum, disjunctiva autem quoad praedicatum, et viceversa.

Complexa tandem propositio, cujus subjecto vel praedicato una saltem integra alia minus principalis propositio aduectitur: quae quidem vel causam affert, cur praedicatum snbjecto conveniat, vel non; et dicitur *causalis*; vel conditionem adjungit, sub qua praedicatum ipsum cum subjecto conjungitur, vel non; et dicitur *conditionalis*; vel demum qualitatem aliquam subjecti, vel praedicati enunciat ad clariorem ejus ideam praestandam, vel ad determinandam rei ideam, de qua sermo est, et tuuc propositio simpliciter *complexa* dicitur; sed ea, quae minus principalis est, et principali adnectitur, *incidens* vocatur, seu *suppositum*; in primo casu quia per incidentiam enarratur, et tam-

quam manifesto vera proponitur, seu tamquam ea, de qua nulla debeat institui disquisitio, in casu autem, quo sit determinativa rei, similiter *incidens* vocatur, quia non alia de causa sic effertur res per adjectionem alterius propositionis minus principalis, quia non habetur, vel adhiberi non vult terminus per se satis aptus ad germanam rei ideam explicandam. Hinc propositio *Plato*, *qui academicam sectam instituit*, *fuit magister Aristotelis*, *simpliciter complexa* erit *cum incidente*, seu *supposito*, *qui academicam sectam instituit*; similiter *complexa* simpliciter *determinativa* cum incidente erit propositio *Deus odio habet homines*, *qui peccant*. Harum autem *si saperes*, *sedulo studeres*; *in errores laberis*, *quia Logicam non calles*, prima erit *conditionalis*, altera *causalis*.

ARTICULUS II.

De propositionum Qualitate.

Qualitas rei alicujus dicitur illa proprietas, per quam, re in eodem genere permanente, a ceteris tamen ejusdem generis differt, seu ad aliquam speciem in eodem genere peculiarem pertinet. Ita doctrina ex: gr. erit qualitas alicujus hominis, qui permanendo in genere hominum, a ceteris tamen per hoc hominibus discriminatur, et in aliqua peculiari hominum classe, seu specie constituitur.

Quando tamen hic de propositionum qualitate agitur, non adeo generice nomen *qualitatis* usurpatur; sed differre qualitate inter se propositiones illae tantum intelliguntur, quae aliqua proprietate ut superius a ceteris differunt, praeter proprietates tamen illas, quibus differunt inter se ratione vel materiei, vel quantitatis, vel oppositionis. Qualitas ergo propositionum dici potest discrimen, quod habetur inter propositiones ob aliquam proprietatem vel uni tantum propriam, vel communem cum aliquibus tantum illarum, et unde habetur, quod propositio data, vel a ceteris distinguatur, vel in data propositionum specie constituatur praeter discrimina earumdem propositionum, quae resultant vel a materia, vel a quantitate, vel ab oppositione earumdem.

Qualitatis porro ratione dividuntur propositiones primo in *affirmativas*, et *negativas*, prout scilicet affirmativum, vel negativum judicium praeferunt; hinc nisi particula *non* afficiat copulam, propositio erit affirmativa; qualis propterea erit *non diligere Deum peccatum est*.

De propositionibus affirmativis, vel negativis illud praestat adnotare, quod si praedicatum habeant *indeterminatum*, de quo scilicet ex circumstantiis non pateat, universale ne sit, an particulare; praedicatum de se particulare, seu singulare semper habent primae, universale vero secundae; unde praedicato propositionis affirmativae si sit in-

determinatum, semper addi debet aliqua nota particularitatis *aliquid*, *quiddam* etc., uti indeterminato praedicato negativae propositionis addi debet nota universalitatis *quodcumque*, *omne* etc.; sic si dicas *patientia est virtus*, *homo non est brutum*, idem foret, ac si diceres *patientia est aliqua virtus*, *homo non est ullum brutum*. Ratio est, quia cum propositio affirmativa significet judicium affirmativum, negativa autem negativum; in prima enunciatur subjecto convenire proprietates speciei, vel generis, quod per praedicatum exprimitur; aut subjectum in data specie, vel genere, quod per praedicatum exprimitur, contineri; contra in secunda enunciatur subjecto non convenire proprietatem, quae in praedicato exprimitur, seu subjectum excludi a genere, vel specie, quae per praedicatum enunciantur; vel subjectum ipsum inter individua datae speciei, vel generis non contineri: porro includitur semper hoc in sensu unum in altero, quoties sit unum tantum etiam ex individuis datae speciei, vel generis; non excluditur autem unum ab altero, nisi omnino ab omnibus datae speciei, vel generis individuis excludatur; ergo etc.

Dividuntur secundo in *veras*, et *falsas*. Quaenam vera, et quaenam falsa dicenda sit propositio, facile cuique patet. Si rem scilicet prout est, enunciet, *vera* erit propositio, secus *falsa*; at non ita facile apparet ratio, qua discernatur, num propo-

sitio quaedam rem enarret prout est, nec ne; de quo in secunda Logicae parte.

Tertio demum discernuntur in *certas*, et *incertas*. Quando ita constat veritas, vel falsitas propositionis alicujus, ut nulla sit de veritate, vel falsitate ipsius prepositionis dubitandi ratio, *certam* omnino dicas oportet propositionem; secus *incertam*. Ex quo nosces primo, certitudinem, vel incertitudinem propositionis non ipsam propositionem respicere, sed potius statum mentis judicantis de veritate, vel falsitate propositionis ejusdem; proindeque secundo perperam apud nonnullos *certum* pro *vero* assumi (13); sed verum aliquando incertum esse posse; contra falsum esse certissimum, eamdemque propositionem quoad unum *certam*, *incertam* quoad alterum esse posse. Tertio tandem intelliges, quod licet medium dari nequeat inter propositionem *falsam*, et *veram*, dari tamen potest inter *certam*, et *incertam*, saltem respectu alicujus mentis, quando scilicet agatur de propositionibus, quarum vel ambo, vel unus ex terminis illi ignotus sit; quo in casu nec certo, nec dubitative potest ea de veritate, vel falsitate propositionis judicium

(13) Ita sane: nihilominus cum ut plurimum veritas certa quaeratur, et asseverari debeat, non falsum; usus inolevit, ut vox *certi* ad indicandum *verum* adhibeatur; uti nos in decursu hujus operis etiam adhibuimus; sed ex contextu satis patet, *certum* loco *veri* usurpatum.

efformare. Juvat autem hic advertere, triplicis generis tum certam, tum incertam propositionem esse posse; certam scilicet, vel *metaphysice*, vel *physice*, vel *moraliter*; incertam autem, aliam esse *probabilem*, aliam *dubiam*, aliam vero *improbabilem*. Quando plures rationes pro veritate, vel falsitate faciunt propositionis alicujus, propositio erit *probabilis*, prout inquiritur de ejus veritate, vel falsitate; (licet ut plurimum de veritate quaestio esse soleat). Si aequales sint hinc inde rationes, erit *dubia*; cum demum plures sint rationes contra veritatem, vel falsitatem propositionis, *improbabilis* ipsa erit respective ad id, quod quaeritur juxta superius dicta de probabilitate. Licet vero intellectui, qui certus sit de propositionis alicujus veritate, vel falsitate, nullus umquam supersit de veritate ipsa, vel falsitate ambigendi locus; eoque tantum in casu *certa* relate ad ipsum propositio dicatur; nihilominus vel ita certus est, ut insimul noscat, impossibile omnino, et absolute esse quacumque in hypothesi, ut propositio ipsa vera, vel falsa non sit, et certitudo hujusmodi *metaphysica* dicetur; sic certo verum, vel falsum cuique esse debet, *Deum veracem esse*, *Deum mentiri posse*: vel ita certus est, ut simul noscat impossibile esse, ut stantibus naturae legibus, et ordine, propositio ipsa vera, vel falsa non sit, et certitudo hujusmodi *physica* dicetur; sic cognitis terminis, et naturae ordine *physice* quisque *certus* erit de veri-

tate, vel falsitate propositionum hujusmodi: *lapis sibi relictus in terram decidet*, vel *lapis sibi relictus pendulus manebit*: vel demum ita certus est, ut simul noscat, quod licet *metaphysice*, et *physice* evenire possit oppositum: ferme tamen impossibile est; et tunc dicitur certitudo *moralis*: unde rigorose loquendo, haec potius communiter *maxima probabilitas*, vel *improbabilitas* respective dicenda est quam certitudo.

Sunt qui certitudinem moralem agnoscunt in eo qui ita certus sit de propositionis veritate vel falsitate, ut ea falsa, vel vera esse non possit, nisi *Deus*, *et homines a solemni naturali*, *et essentiali suo agendi modo desciscant*, vel *nisi plura disparata*, *et opposita simul concurrant absque ulla causa*: at non video, quomodo certitudo hujusmodi in certitudinem physicam, vel metaphysicam non resolvatur.

ARTICULUS TERTIUS

De Quantitate propositionum.

Ratione quantitatis, quae in subjecti extensione consistit, propositiones aliae *universales* sunt, aliae *particulares*, aliae *singulares*, prout nempe propositionis subjectum vel universale, vel particulare sit, vel demum singulare.

Duo in hanc rem cum Dialecticis notare prae-

stat, quae maximi momenti sunt; praesertim in argumentationibus instituendis, et examinandis, ut inferius patebit. Primo non omnes propositiones, quae *universales* prima fronte videntur, tales revera esse. Quae vere enim *universales* sunt, et *complete* tales dicuntur, tot aequivalent propositionibus, quot individua continentur in genere, vel specie, quae subjectum propositionis constituit; ita si dicam *omnis homo est rationalis*, idem foret, ac diceretur *Petrus est rationalis*, *Paulus est rationalis*, *Joannes est rationalis*, etc.; uno verbo toties propositionem hujusmodi repeterem, quot sunt in humano genere individua. Jam vero non ita in singulis propositionibus specie tenus universalibus contingit; sunt enim in quibus praedicatum non affirmatur, vel negatur de singulis individuis subjecti, sed de singulis tantum speciebus; sic si dixerim *omne animal fuit in Arca Noe*, idem foret ac si dixerim, de omni animalium specie aliquod individuum in Arca Noè extitisse; et hae dicuntur propositiones *universales incomplete.* Sunt etiam propositiones universales in *sensu accommodo*, in quibus scilicet aliquid affirmatur, vel negatur de plerisque individuis subjecti; sic dici consuevit cum Horatio *Satira* 3. *lib.* 1. *omnibus hoc vitium est cantoribus inter amicos*, *ut numquam inducant animum cantare rogati*, *injussi numquam desistant* . . . ., licet id non de singulis cantoribus, sed de plerisque tantum in-

telligi velit. Sunt demum propositiones, quae etsi universalitatis speciem habeant, omnino *singulares* sunt; in quibus scilicet totum genus, vel species, quae subjectum constituit, ad instar unius individui assumitur, uti si dicas *omnes apostoli fuerunt duodecim*; quae certe propositio contra naturam universalium ne duabus quidem potest aequivalere.

Alterum notandum est, dari propositiones, quae dum prima fronte neque universalitatis, neque particularitatis notam habent, *indefinitae* dicuntur; uti si dicas *homo est vivens*, *homo est doctus*: hae tamen facili negotio pro materia, ut Dialectici ajunt, *necessaria*, vel *contingente*, de qua agitur in praedicato, ad universales, vel particulares rediguntur, et pro talibus habendae sunt. Si nempe agatur de materia necessaria, seu cum praedicatum ita subjecti individuis conveniat, ut nullo in casu alicui ex iis non possit non convenire, et contra; propositio erit universalis; secus (quo in casu propositio dicitur esse de materia contingente) ipsa erit particularis: hinc idem erit dicere *homo est rationalis*, *ac omnis homo est rationalis*; vel *homo est doctus*, ac *aliquis homo est doctus*.

ARTICULUS QUARTUS

De propositionum Oppositione .

Pugna, quae invenitur inter duas propositiones idem subjectum, et praedicatum habentes, quarum in alterutra habeatur diversitas, vel quoad quantitatem, vel quoad qualitatem affirmationis, vel negationis, vel quoad utrumque, dicitur propositionum *Oppositio*.

Praescindendo interim a propositionibus singularibus invicem oppositis, de quibus infra; sumatur subjectum, puta, *homo*, praedicatum, puta, *albus* (idem dicito de quovis alio indeterminato subjecto, et praedicato); jam quatuor hinc tantum efformari poterunt propositiones diversae; duae scilicet universales, una affirmans, altera negans, dicendo *omnis homo est albus*, *nullus homo est albus*; duae autem particulares, altera similiter affirmans, altera negans, dicendo *aliquis homo est albus*, *aliquis homo non est albus*.


Porro propositionum hujusmodi quatuor tantum comparationes relate ad oppositionem, de qua supra, fieri possunt: nimirum vel comparantur invicem duae propositiones universales, una affirmans, altera negans; et hae *contrariae* dicuntur inter se; vel comparantur duae propositiones particulares, una pariter affirmans, altera negans; et hae *subcontrariae* appellantur; vel comparantur

inter se duae affirmantes, vel negantes, una tamen particularis, altera universalis; et *subalternae* dici consueverunt: aut demum fit comparatio inter duas, quarum una sit universalis affirmans, altera particularis negans, vel una universalis negans, altera particularis affirmans; atque hae *contradictoriae* erunt. Propositionum autem sic inter se oppositarum comparatio plurimum inservit ad falsitatem, vel veritatem earumdem inter se investigandam, data unius, vel alterius ex oppositis veritate, aut falsitate: pro quo sequentes Canones prae oculis habeto. Prius tamen praeter ea, quae hactenus dicta sunt, admisso *principio*, quod ajunt *contradictionis*, scilicet *idem non potest simul esse, et non esse*: principio, inquam, quod unus scepticus perperam negabit, dummodo to *idem* sumatur pro eodem subjecto secundum eumdem respectum; quod philosophi solent exprimere dicendo, quod sumi debeat *de eodem secundum idem*. Sic puta, propositio *Petrus fuit doctus* potest simul vera esse, et falsa, si de diversa vitae epocha, vel de diverso doctrinae genere agatur, vel de duobus demum hominibus, qui Petri nomine vocarentur, sermo sit; sed si respectum habeat propositio ad eamdem individue personam, ad eamdem similiter vitae epocham, et ad idem numero doctrinae genus, patet manifestissime eam aut veram, aut falsam esse omnino debere.

I. *Ex subalternis propositionibus si est ve-*

ra universalis, *vera etiam necessario erit particularis*; *si falsa particularis*, *falsa etiam universalis*; *non econtra*. Quod enim verificatur de singulis individuis unius generis, debet verificari etiam de aliquibus; alias idem simul esset, et non esset, nempe de iisdem subjectis, de quibus in propositione particulari non verificaretur id, quod ibi enunciatur, verificaretur juxta hypothesim in propositione universali. Si enim, puta, verum, *quod omnis homo sit albus*, quomodo falsum esse poterit, *quod aliqui homines sint albi?* Hi *aliqui homines* essent albi ut supponitur in propositione universali, non essent albi, quia falsum similiter supponitur, quod asseritur in particulari. At si vera particularis, non inde inferri potest veritas universalis, uti revera accidit in allato exemplo: ratio est, quia uno tantum existente in aliquo genere, cui non competat datum attributum, falsa erit universalis; interim vero competente eodem attributo ceteris, vera erit particularis, in qua subjectum potest non comprehendere illud, vel illa individua, quibus idem attributum non competit, et per quod habetur falsitas propositionis universalis, adeoque non habetur contradictio. Si autem falsa sit particularis, falsa esse debet universalis; quae in hac hypothesi si vera esset, iterum haberetur contradictio, quod idem simul esset, et non esset, ut consideranti patebit. Ex ratione autem mox adducta, per quam vera esse po-

Pag. 91.


omnis homo est albus
contrariæ
nullus homo est albus
subalternæ
contradictoriæ
contradictoriæ
subalternæ
aliquis homo est albus
subcontrariæ
aliquis homo non est albus

test particularis, stante falsitate universalis, patet etiam quod ex falsitate universalis inferri nequit falsitas particularis. Tironum gratia appositum est schema propositionum oppositarum, quod licet ex Peripateticorum sit officina depromptum, non me pudet exhibuisse, eclecticam philosophiam profitentem; cum facile ob oculos ipsorum ponat, quod in praesenti, et in sequentibus canonibus de oppositione propositionum tradimus.

II. *Propositiones contrariae possunt esse ambae falsae, non autem ambae verae.* Verificari enim potest aliqua proprietas de nonnullis tantum alicujus generis individuis. Contrariae ergo propositiones ambae tunc falsae erunt, cum de omnibus, et singulis dati generis individuis eamdem proprietatem una affirmet, altera neget; cum neque de omnibus affirmari, neque de omnibus negari possit quod aliquorum tantum proprium est. Et sane in casu nostro ambas falsas esse comperimus. Econtra ambae verae esse nequeunt: cum enim de eodem una contraria affirmet, quod altera negat, si ambae verificari possent, jam verificaretur idem simul esse posse, et non esse.

Notandum tamen, quod si contrariae propositiones sint in materia necessaria, nempe habeant pro praedicato qualitatem, quae necessario ab omnibus individuis subjecti requiratur, vel excludatur, jam non solum ambae verae, sed nec ambae falsae esse possunt. Si enim verum, quod talis proprietas

necessario, et essentialiter requiritur a singulis dati generis individuis, vel necessario ab omnibus excluditur, si vera una, falsa altera ex contrariis necessario sit oportet, ut patet.

III. *Subcontrariae propositiones ambae verae esse possunt, non tamen ambae falsae.* Primum sic ostenditur; quia licet una subcontraria affirmet, quod altera negat, nihilominus cum in ambabus propositionibus sit subjectum particulare, potest in una sumi de parte diversa generis dati, ac sumitur in altera; adeoque verificari opposita de eodem, quando vere idem non est, seu non secundum idem. Hinc verissimum, quod aliqui homines sunt albi; alii vero non item, cum non de iis, de quibus dicitur esse albos in una propositione, negetur in altera. Secundum sic ostenditur. Subcontrariae propositiones sunt subalternae universalium contrariarum; atqui ex primo canone si subalterna una particularis falsa, etiam falsa esse debet altera universalis; ergo si falsa una subcontraria, falsa etiam sua subalterna; atqui subalterna haec contradictoria est alterius subcontrariae; ex contradictoriis autem si una falsa, altera necessario vera erit; ergo etc. Consulatur schema, et res evidentissime declarabitur.

IV. *Ex contradictoriis* demum *nec ambae verae, nec ambae falsae esse possunt.* Cum enim ex iis una affirmet universaliter, quod altera particulariter negat, et viceversa; jam de eadem parte

illa, de qua aliquid affirmatur, vel negatur in propositione particulari, idipsum negatur, vel affirmatur in universali; ergo si ambae possent esse vel verae, vel falsae, idem simul esset, et non esset; quod absurdum.

Sed quid jam de propositionibus oppositis singularibus dicendum erit? Tota earum oppositio non potest esse, nisi in qualitate affirmationis, vel negationis, ut patet. Ergo cum una ex oppositis singularibus affirmet idem de eodem subjecto numerice, eodemque praedicato sub eodem omnino respectu; quod altera negat; ne admittatur quod idem possit simul esse, et non esse, dicatur oportet, eas neque ambas veras, neque ambas falsas esse posse, ideoque semper habendas, uti contradictorias; ergo si verum, quod tale *brutum sit animatum*, falsum *quod sit inanimatum*; et viceversa.

Antequam caput hoc absolvatur, ne in propositionum qualitate, quantitate, aut oppositione etc. supputanda alicui hallucinari contingat, monitum illud volo, propositiones quandoque diversum prima fronte portendere, ac ipsae sunt, adeoque dari propositiones, quas *exponibiles* Dialectici vocant, et in quibus non tam verborum cortex, quam sensus est attendendus, ut earum valor rite valeat supputari. Scilicet propositiones videntur quandoque ajentes; at si exponantur, re sunt negantes, et viceversa: quandoque incidens habent, quod non apparet: causales sunt, neque uti tales proponuntur,

ut de ceteris sileam, quae poterit quisque ex his facili negotio deducere. Sic ex. gr. propositio *anima humana non est corporea* videtur negans, habet tamen sensum affirmativae propositionis *anima humana est simplex*: similiter propositio *peccator est inimicus Dei* videtur simplex; continet tamen incidens demonstrativum, si enuncietur hac alia ratione *vir qui peccaverit*, *est inimicus Dei*; et sic de ceteris similiter dicatur.

APPENDIX

De nonnullis Propositionibus, quarum in pertractandis scientiis frequens usus esse solet, quaeque nominibus peculiaribus indicantur.

PRIMA. DEFINITIO.

Haec alia *rei*, alia *nominis* est. Propositio, quae rei alicujus naturam distincte explicat, seu quae pro subjecto habens aliquam rem, pro praedicato habet ejusdem rei essentiales proprietates, quibus res est illa, et a ceteris discriminatur, *Definitio rei* appellatur, seu *realis*. Quae vero nomen aliquod pro subjecto habens in praedicato exponit proprietates, quae essentiam constituunt rei, quam tali nomine intelligi vult proferens, dicitur *Definitio nominis*, seu *nominalis*. Uno verbo definitio adhibe-

tur, ut distincta idea tradatur rei, vel nominis, de quibus sermo habendus est; ergo ut definitio habeatur, proprietates tali modo essentiales exponat necesse erit. Sic dicendo *homo est animal rationale*, definitionem rei, seu naturae hominis tradidi, sed si hominis nomine intelligi vellem sive per lusum, sive per errorem, sive pro opportunitate temporis, loci etc. quidquid animatum est, recte *nominaliter* tantum definiendo, definivissem hominem, dicendo, *homo est id*, *quod constat anima*, *et corpore*.

Dicunt Dialectici, definitionem quamlibet constare debere *genere ultimo*, et *differentia prima*, seu *genere primo*, *et differentia ultima*, quod recidit in idem; scilicet illas rei in se, seu rei, quae sub tali nomine ad arbitrium sumpto indigitari velit, notas exponere, quibus noscatur primo, in quo genere rerum, seu classe, et quidem strictiori res contineatur; secundo vero eas, per quas res ipsa ab omnibus aliis ejusdem generis secernatur. Definitionis enim munus est rei in se spectatae, vel tali nomine indigitatae naturam aperire, ita ut mens sic rem percipiat, ut cum aliis non confundat; et fines veluti menti ipsi imponantur, ne vagetur alio ad rem ipsam inveniendam: unde etiam talis propositio *definitio* dicta est; atqui res quaevis in sui natura, seu in illo, per quod res est illa, et non alia, et unde cum alia re amplius confundi nequit, aliquid habet

commune cum multis; aliquid autem sibi tantum peculiare inter ea multa, in quorum genere continetur; ergo ad definitionem efficiendam exprimendum est genus, ad quod res pertinet, illaque superaddenda proprietas, per quam res ipsa a ceteris ejusdem generis entibus distinguatur: atqui insuper si genus quod indicatur, sit nimis amplum, forte fiet, ut difficilius inveniatur proprietas illa, per quam distinguatur res a ceteris omnibus ejusdem generis; ergo plurimi intererit, ut genus strictius quam fieri potest, in definitione indicetur; unde dicitur facienda definitio per genus *ultimum*, vel *primum*. Homo ex. gr. continetur in genere entium, sed si dixerim *homo est ens rationale*, definitio recta non erit, quia homo confunditur cum angelis, imo etiam cum Deo; neque enim rationalitas est, per quam homo tunc a ceteris omnibus entibus dati generis, in quo includi asseritur, secernitur; aliunde difficillimum erit invenire attributum homini essentiale, per quod mens inquirendo hominem inter entia, a ceteris omnibus talis generis secernat (14).

Nota tamen, necessum non esse ad rectam de-

---

(14) Quoad definitiones tamen objectorum simplicium, seu quorum ideas omnino simplices habemus, relate praesertim ad hanc regulam definitionum condendarum, vide in fine hujus tractationis de definitione.

finitionem realem instituendam, ut vera, et intrinseca rei natura exponatur; alias fere nullae forent reales definitiones, cum intrinseca rei natura ut plurimum ignoretur; sed satis est, ut exponatur illa natura, quae indubie in re *apparet*, et per quam a ceteris rebus secernitur ab iis, qui ejus accuratam, germanamque notionem habent. In definitione autem nominali satis est natura rei exponatur juxta mox dicta in reali definitione; rei inquam, quae hic et nunc a definiente ipso sub tali nomine concipitur, quaeque ab aliis sub eodem vult intelligi.

Hinc primo definitio non idem sonat, ac descriptio rei alicujus; definitio enim talem rei notionem praebere debet, ut ea ab omni alia quovis tempore, et loco secernatur; id quod fieri nequit nisi per expressionem in praedicato essentialium rei definitae, vel rei sub tali nomine indigitatae. Descriptionis autem munus est, eas rei qualitates exponere, quibus rem ipsam hic et nunc, habito respectu etiam ad ejus relationes, ab omni alia secernam. Necessitatem habens alloquendi, puta, talem hominem, qui dato in cubiculo hic et nunc solus reperitur, dico famulo, voca mihi hominem, quem in dato cubiculo reperies. Satis hoc est, ut famulus noscat, et inveniat, quem inquiro; sed per dictam connotationem nemo certe intelligit, me definitionem talis hominis effecisse, unde semper, et ubique nosci valeat, quis ille sit; sed tantum de-

scriptionem per unam accidentalem temporaneam illius relationem.

Hinc secundo definitio non rite instituitur vel per *verba synonima*, ut si dicas *infinitum est id, quod fines non habet*, vel *per verba valde obscura*, ut illa Peripateticorum de anima, quod sit *actus primus corporis naturalis organici potentia vitam habentis*, vel *per negationem*, uti altera eorumdem de materia, quam definiebant *id, quod neque est quid, neque quale, neque quantum, neque quidquam eorum, quibus ens determinatur*: istae enim omnes definitiones vel nihil dicunt, vel confusionem menti ingerunt contra finem definitionis ipsius.

Nihilominus ob brevitatem humani intellectus, quando aliter definiri res non valeat, licebit vel per synonima forte notiora, vel per verba negativa rem definire: quandoquidem si per tales definitiones vera rei notio non habebitur, seu distincta; habebitur tamen clarior, et quid tandem res non sit, intelligetur; unde aliqui limites menti imponentur ad rem a pluribus aliis rebus, si non ab omnibus, distinguendam.

Hinc tertio licet prima fronte ridiculae saltem definitiones nominales videantur, non ideo tamen improbandae sunt; imo quandoque maxime necessariae. Cum enim maximi intersit in qualibet disceptatione prius germanam dari notionem ejus, de quo agendum est; similiter et noscere singulorum

veluti verborum, quae adhibentur significationes, ne Andabatarum more aerem verberantes invicem adversae sententiae patroni digladientur, et post longissimae disputationis aestum tandem agnoscant, se inutiliter, et in falso supposito dimicasse, cum ambo in eamdem coalescerent opinionem, et in logomachia tantum versarentur; cum aliunde voces sint signa arbitraria idearum, et vel usu, vel analogia, vel alia de causa plures voces aequivocae esse possint; maximi emolumenti erit, nominales definitiones efformari ad germanam invicem notionem eorum exhibendam, quae pertractantur, vel in votis cuique sit, ut intelligantur. Novum insuper non est, ut de re aliqua quis agendo, rem ipsam non, qua late patet, consideret, sed sub aliquo tantum aspectu, et cum restrictione aliqua, item viceversa; proindeque id de ea asserat, quod sub data restrictione, vel latiori modo nomine sumpto, verum est: nihilominus tamquam insulsus haberetur, pluresque inveniret adversarios, nisi nominis definitionem praeponendo declaret, quo sub aspectu de re ipsa intelligi velit, vel quam late sumat nomen ipsum, de quo talia praedicat. Nonne sane redarguendus videretur, qui sidera posse dari contendat natura sua opaca, et alieno lumine fulgentia? Sed si data sideris definitione, sub tali nomine intelligeret, quidquid in coelo noctu resplendet, comprehendendo sub

dato nomine etiam planetas, quid est, quod in tali asserto reprehensione dignum inveniretur?

Hinc quarto quaevis definitio, nisi de ipsius rectitudine sermo, aut quaestio instituatur praecise, postquam tamen rei natura cognita, et explorata utrinque est; tamquam recta semper habenda, et ut nominalis suscipienda, neque de ea, ejusque bonitate lis movenda, nisi post integram rei ipsius tractationem, per quam explorata natura rei, et cognito, quod, qui definitionem instituit, *rei* voluerit, non *nominis* definitionem instituere, possit si mereatur, jure de non bene instituta definitione redargui.

Ceterum, qui definitionem quamlibet instituit, prae oculis habere debet, ut non nominis, sed rei definitionem instituat; seu rei, quae sub tali nomine communiter intelligi solet: res enim, non nomina, nisi ubi haec aequivoca sint, rite agnoscendae sunt, curandumque, ut agnoscantur.

Atque hic, ut jam Nota (14) innuimus, animadvertere juvat rei simplicis, seu cujus idea simplex habeatur, nullam proprie dictam fieri posse definitionem; uti ideam distinctam, a fortiori completam haberi, aut tradi non posse. Eo ipso enim quod in tali objecto non habentur partes, aut notae ullae sive reales, sive formales, quas mens distinguat, quomodo poterit mens sibi ideam juxta notata, ubi de idea distincta sermonem instituimus, distinctam, vel completam essentiales invicem rei partes secer-

nendo efformare, aut aliis communicare? Similiter quomodo genus ultimum, primamque differentiam in attributis rei ipsius inveniet mens, unde definitionem ejus valeat concinnare? Hinc de definitione agentes semper hypothesim supposuimus objecti definiendi, in quo partes saltem formales invenirentur. Et tunc tantum in objectis idearum simplicium locum haberet definitio, quando definiri vellent vel per adjuncta, vel per circumstantias, et relationes, ab objectis tamen ipsis inseparabiles: in quo exequendo, leges etiam hucusque de definitione traditae forent prae oculis habendae.

SECUNDA. DIVISIO.

Propositio, quae rei compositae partes invicem resolvit, seu quae pro subjecto habens rem aliquam, pro praedicato partes omnes, in quas illa dividitur, recenset ad clariorem rei ideam praebendam, vel ad clarius de re agendum, dicitur *Divisio*; uti res composita, seu subjectum divisionis tunc dicitur *divisum*: partes autem, in quas dividitur, *membra dividentia* appellantur; talis est propositio *Telluris*, *qua late patet*, *superficies dividitur in Europam*, *Asiam*, *Affricam*, *et Americam*. Ergo primo membra dividentia totum objectum divisum exaequare debent; alias falsa erit divisio, seu propositio exhibens divisionem, ut patet.

Ergo secundo cavendum, ne unum membrum

dividens in altero contineatur. Hinc recta non foret divisio mundi dicendo ex. gr. illum dividi *in Europam*, *Asiam*, *Affricam*, *Americam*, *Italiam.*

Hinc tertio cavendum, ne omnes, vel aliqui etiam divisionis termini, seu membra dividentia indicantes negativi sint; aliter confusionem ingeret divisio, non claritatem. Licet quoad necessitatem utendi terminis positivis, recolendum, quod mox innuimus de definitione.

Quia vero totum aliquod dividitur, ut clarior ejusdem notitia habeatur, ejusdemque pertractatio per partes exarata clarior procedat, et diligentior, praestabit sic divisione uti, ut prius per unam divisionem essentialia rei ejusdem secernantur, seu partes principaliores; inde vero singulae hae per novas divisiones subdividantur, et seorsim percurrantur.

TERTIA. AXIOMA.

Propositio ita evidens, ut intellectis terminis statim a quoquam admitti debeat ut vera absque ulla demonstratione, et in qua veritas aliqua abstracta, et intellectualis proponatur, vocatur *Axioma.* Sic *totum est majus sua parte*: *idem non potest simul esse, et non esse.*

QUARTA. POSTULATUM.

Quod si propositio sic evidens practica sit, et id quod in propositione enunciatur uti faciendum, vel tamquam factu possibile proponatur, dicitur *Postulatum*. Sic *ex puncto ad aliud duci potest linea recta*.

QUINTA. THEOREMA.

Propositio enuncians veritatem abstractam, seu intelligibilem, quae tamen nonnisi ope demonstrationis intelligitur vera, dicitur *Theorema*. Sic propositio *felicitas temporalis unice invenitur in catholica Religione*.

SEXTA. PROBLEMA.

Si autem propositio hujusmodi non pure intelligibilis, sed practica fuerit, *Problema* dici consuevit. Sic *per data tria puncta non in directum posita circulus duci potest*.

SEPTIMA. COROLLARIUM.

Consecutiones legittimae ex alia propositione sic deductae, ut intellectis terminis, et cognita veritate propositionis, ex qua deducuntur, statim

et ipsae verae habeantur necesse est, *Corollaria* sunt.

OCTAVA. SCHOLION.

Scholia vero appellantur propositiones quaedam, quae ad instar notarum ceteris propositionibus interseruntur vel ad elucidationem eorum, quae praemittuntur, vel ad utilitatem, et usum eorumdem indicandum.

NONA. LEMMA.

Si propositio aliqua vel per se clara, vel alibi demonstrata ex alieno loco advocetur, et tamquam praemissa demonstrationi alicui praeponatur, haec vocatur *Lemma*. Si demonstraturus in Logica, nos a sensibilibus ideis solitarie sumptis quandoque decipi in judicando, ex Physica praemittam, aerem esse gravem; inde vero demonstrem judiciorum nostrorum fallaciam, si ex unius, alteriusve sensus, praesertim sine aliquo delectu, et ratiocinatione, testimonio argumentemur, cum per sensum unum, vel alterum ad contrarium judicandum de aere impellamur, propositio illa *aer est gravis*, *Lemma* dicetur.

SECTIO TERTIA

DE RATIOCINATIONE, ET ARGUMENTATIONE.

CAPUT PRIMUM

DE RATIOCINATIONIS NATURA, ET FIRMITATE.

Ut agnoscat mens, conveniant necne duae ideae inter se; si id primo obtutu agnoscere nequit, mediam quamdam ideam, tamquam regulam assumit, et ambas cum media seorsim comparans, siquidem agnoscat, ambas cum hac tertia congruere, et invicem primas duas convenire concludit: infert contra primas illas non congruere ad invicem, quoties inveniat unam tantum earum, non vero alteram cum tertia assumpta congruentem. Sic ex. gr. quis ut agnoscat, possit ne tuto asserere *in sole igneam naturam haberi*, ideam assumit proprietatis essentialis, quae igni competit, nempe adurendi; cumque medio speculo ustorio noverit, solis radiis simul collectis adurendi proprietatem competere, sic interius mente seipsum alloquitur. *Quidquid adurit, ignis naturam habet; sol adurit; ergo ignis naturam habet*: contra ve-

ro ut noscat, sit ne brutum aliquod hominibus accensendum, ideam sumit habentis facultatem judicandi, et ratiocinandi, quam cum in hominibus includi videat, numquam autem in aliquo ex brutis, sic pariter mente prosequitur. *Quilibet homo habere debet in sui natura ratiocinandi facultatem; nulli bruto competit ratiocinandi facultas; ergo nullam brutum est homo*. Operatio hujusmodi humani intellectus *Ratiocinatio* dici consuevit, seu *Discursus*. *Ratiocinatio* quidem, quia in ea non affirmatur, vel negatur aliquid simpliciter de alio, sed et ratio introspicitur, et quidem certissima, ut mox demonstrabimus, affirmationis, vel negationis: *Discursus*, quia mens comparationes duarum idearum cum tertia assumpta instituens, atque inde inferens eas congruere, vel non congruere inter se, quasi de uno in aliud per metaphoram discurrere intelligitur.

Porro quid est hoc aliud nisi dicere, congruere duo quaepiam inter se, vel non congruere, quia vel ambo cum tertio congruunt, vel unum tantum cum eo congruit, non vero alterum? Jam vero aut nullum verum agnosci ab homine potest; aut si potest, uti in secunda logicae parte demonstrabimus; id quod sic discurrendo, seu ratiocinando colligitur, debet esse verissimum. Revera cum omnibus sanae mentis certissimum axioma illud esse debeat, non posse scilicet idem simul esse, et non esse, patet etiam vera esse debere, et tamquam axiomata

habenda haec alia duo: primum *quod si duo quaedam sint eadem, seu conveniant uni tertio, jam in eodem, in quo conveniunt cum tertio, debeant et inter se convenire*; econtra vero secundum *quod si duo quaepiam talia sint relate ad unum tertium, ut unum tantum eorum cum hoc tertio sub quodam respectu, et gradu conveniat, non vero alterum, jam neque inter se possint eadem esse, et convenire sub eodem respectu*; alias convenirent, et non convenirent, essent inter se eadem, et non essent, quod absurdum. Sume longitudines duas, easque confer cum tertia quapiam; amabo te, si ambae longitudines cum tertia illa perfecte congruant, poterunt ne non esse inter se aequales? Vel dubius tantisper ne eris de inaequalitate earumdem, quoties unam perfecte cum tertia congruentem inveneris, non vero alteram?

Principia haec duo, sive axiomata sic efferunt Dialectici. *Quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. Si ex duobus unum conveniat cum tertio quodam, cum quo alterum non convenit, neque inter se duo illa convenient.*

Porro si adeo vera sunt axiomata haec duo, quam quod verissimum, patet jam verissimum etiam fore quidquid mens ratiocinatione concludit; cum nihil aliud intellectus humanus ratiocinando operetur, ut innuimus, quam affirmare, vel negare, duo quaepiam convenire inter se, quia in primo casu, nempe affirmationis, agnoscit, illa duo convenire

cum tertio quopiam; in secundo vero negationis, conveniente uno cum tertio, alterum non convenire. Ergo quidquid ratiocinatione concluditur, necessario verissimum sit oportet. Alia profecto axiomata, alia principia non dantur, unde mens valeat ratiocinari. Unus ergo est tantum ratiocinandi modus, et inspecta operationis hujusmodi natura jam exposita, ejusque omnimoda firmitate poterit quaelibet mentis nostrae ratiocinatio definiri. *Ea mentis operatio, qua ex comparatione idearum duarum cum tertia eas infallibiliter affirmat, vel negat invicem convenire, si vel ambas congruentes cum tertia noverit, vel alterutram tantum.*

Infallibiliter inquam. Atqui tamen toties ratiocinando mens nostra fallitur, pluresque falsitates ratiocinando inferuntur. Unde hoc? Quia nimirum ratiocinationes non rite instituuntur, seu non innituntur principiis mox relatis, *quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se: si ex duobus unum conveniat cum tertio quopiam etc.*; quaeque unice, sed validissimam vim tribuunt cuicumque nostrae ratiocinationi. Non innitentur autem principiis praedictis, quoties (dicunt Dialectici) ratiocinia ipsa peccaverint vel in *materia*, vel in *forma*. Peccant in *materia* illa, in quibus in comparatione facienda inter duas principales ideas, et mediam asseritur, vel negatur similitudo inter alterutram principalem ideam, et mediam, quando aut non ita sit, aut non satis id constet. Sane si ut

per mediam longitudinem tamquam regulam assumptam agnoscas, num duae longitudines datae aequales sint an non inter se, instituendo comparationem longitudinis A cum longitudine B, et videndo eas non esse aequales, tamen dixeris, quod aequentur; vel econtra. Similiter dum comparaveris longitudinem C cum B idem praestiteris; aut non cognita ex incuria aequalitate, vel inaequalitate A, et C cum B, temere hanc ipsam aequalitatem, vel inaequalitatem asseveraveris, nonne falsum inde inferas necesse est, aut periculo te exponas, ut falsum inferas? Ergo a pari si in comparatione facienda inter duas ideas et mediam asserueris, vel negaveris earumdem similitudinem, et aequalitatem vel inconsulto, vel contra rei veritatem, falsum erit, quod concludes, vel non satis firmum; et tunc ratiocinia efformantur, quae in *materia* peccant, et nihil concludunt. Uno verbo caute procedendum, ut judicia, quae eliciuntur in comparatione facienda idearum principalium cum media, vera sint. Ast unde hoc apparebit, quave ratione mens nostra tuta erit de veritate talium judiciorum? Ex ratione ipsa, qua jam superius innuimus, perspectum nobis esse posse propositiones veras esse, vel falsas: hoc tamen secundae Logicae partis munus est aperire.

Peccant in *forma*, quando ratiocinium tale est, ut non aequivaleat, seu non respondeat alterutri ex dictis principiis; seu juxta eadem efformatum non erit, si in eo intercedant primo plures, vel

pauciores, quam tres ideae. Certe si concludi debet, duo convenire, vel non convenire inter se, quia vel ambo conveniunt cum tertio, vel unum convenit altero non conveniente, neque aliud adest, quo ratiocinemur, principium; quomodo vel plures, vel pauciores, quam tres ideae inveniri poterunt in ratiocinio? Novi equidem firmitate ratiocinii remanente plures quandoque ideas in ratiocinatione quadam inveniri: verum id vel quia plures ideae unam quamdam compositam efformant, et ad instar unius assumuntur, ut si dicas *Petrus, Paulus, Antonius probe callent philosophiam, theologiam, jurisprudentiam etc.; sed qui tot callent scientias vere docti sunt; ergo Petrus, Paulus, Antonius vere docti sunt*; ubi *Petrus, Paulus, Antonius*, similiter *philosophia, theologia, jurisprudentia etc.* pro duabus tantum, licet compositis ideis assumuntur: vel quia plures sunt ratiocinationes simul conjunctae, quarum una vel alteram excipit, vel alteram firmat, atque demonstrat; uti patebit, dum de argumentatione in hac eadem sectione, et de demonstratione in altera sectione agemus; quae quidem si invicem separentur, singulas tres tantum ideas continere apparebit. Sic ex. gr. bene quis concluderet, avaros felices esse non posse sic ratiocinando. *Avari multa desiderant; qui multa desiderant multis egent; qui multis egent sunt miseri; qui sunt miseri non sunt felices; ergo ava-*

ri non sunt felices. At quis non videt non unam hanc esse, sed tres simul junctas ratiocinationes, quarum una alteram firmat, et ex quibus tandem concluditur avarorum infelicitas, et quarum unaquaeque tribus tantum ideis constat? Sane sic praecedens discursus in suas componentes ratiocinationes est resolvendus *Avari multa desiderant*; *qui multa desiderant*, *multis egent*; *ergo avari multis egent*. Deinde *Avari multis egent*; *qui multis egent*, *sunt miseri*; *ergo avari sunt miseri*. Tandem *Avari sunt miseri*; *qui sunt miseri*, *sunt infelices*; *ergo avari sunt infelices*.

Peccant similiter in forma ratiocinationes, seu secundo loco ratiocinatio non respondebit alicui ex praelaudatis principiis, seu juxta eadem efformata non erit, si plura vel pauciora, quam tria judicia contineat; unumque saltem ex iis, in quibus fit comparatio idearum principalium cum media, non sit affirmativum; aut si uno ex iis existente negativo, non concludatur pariter per negationem (15). Sane in ratiocinio, ut efformetur

(15) Tria judicia, quae in quolibet ratiocinio ab intellectu eliciuntur, propriis suis nominibus a Dialecticis designantur. Prima scilicet duo, in quibus fit comparatio idearum principalium cum tertia, dicuntur *praemissae*; ultimum, in quo asseritur, vel negatur duas principales ideas convenire, vel non convenire inter se, dicitur *conclusio*, *consequens*, *illatio*, et nonnisi per abusum ab aliquibus dicitur *consequentia*; no-

juxta laudata principia, debet concludi affirmando, vel negando duo convenire inter se, quia vel ambo conveniunt cum tertio quopiam, vel uno conveniente alterum non convenit; ergo non possunt haberi neque plura, neque pauciora, quam tria judicia; unum scilicet, in quo asseratur, vel negetur haec convenientia duorum principalium inter se, duo vero alia in quibus vel asseratur separatim convenientia utriusque principalis cum tertio; vel unum, in quo asseratur unius principalis convenientia cum tertio, alterum, in quo denegetur cum eodem tertio convenientia principalis alterius.

---

mine enim *consequentiae* rigorose non debet intelligi nisi ipsa ratiocinii *forma*, unde supposita veritate praemissarum non possit non esse vera conclusio, quia ratiocinium est institutum juxta praelaudata principia, et regulas, quas ex ipsis nunc tradimus in efformando ratiocinio servandas. Quod si rite institutum juxta regulas hic traditas non sit, deerit forma, deerit consequentia, nihil ratiocinium valebit; et forte per accidens verum erit consequens, sed non propter praemissas, non in vim ratiocinii. Sic in sequenti ratiocinio *Deus est omnipotens*; *sed qui est omnipotens debet esse infinite perfectus*; *ergo homo est rationalis*: ubi deest forma, quia sunt quinque ideae, *Deus*, *omnipotens*, *infinite perfectus*, *homo*, *rationalis*: verum utique consequens; sed per accidens, non propter praemisssas, non vi ratiocinii; cum non servet recte instituti, et praelaudatis principiis innixi ratiocinii regulas; et uti illatum est *ergo homo est rationalis* (quod per accidens verum est), nemo vetabat, quod inferretur falsum *ergo homo est irrationalis*.

Similiter in unoquoque ratiocinio aut concludendum duo principalia inter se convenire, aut non convenire: tunc concludendum convenire ex primo principio *quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, quando in praemissis facta comparatione asseritur, et asseri potest ambo principalia convenire cum tertio; id, quod est efformare duo judicia affirmativa; tunc vero concludendum non convenire inter se principalia duo ex principio altero *si ex duobus unum conveniat cum tertio quopiam, cum quo alterum non convenit, neque convenient inter se*, quando in praemissis facta comparatione, de uno principali asseri potest convenire cum tertio, de altero vero separatim eadem convenientia cum tertio debet denegari: sed hoc est efformare unum judicium affirmativum, alterum negativum; ergo ex judiciis, in quibus fit comparatio idearum principalium cum media, unum saltem debet esse affirmativum. Tandem si in uno judicio ex praemissis habeatur negativum judicium, signum est, quod una ex principalibus ideis non convenit cum tertia. Si ergo rite concludi velit, dicendum est in consequenti non convenire duas principales inter se, seu concludendum cum negativo judicio, quia si *ex duobus unum conveniat cum tertio quopiam, cum quo alterum non convenit, neque illa duo possunt convenire inter se*; ergo uno ex praemissis judiciis existente negativo, concludendum per negationem.

Haec tamen omnia semper respectu habito ad unam tantum, et simplicem ratiocinationem: quod si plures jungantur simul ut in exemplo allato, cum ageremus mox de necessitate trium tantum idearum in qualibet ratiocinatione, de singulis divisim hic quoque tradita verificentur, oportebit.

Ex hucusque traditis duo inferre licet. *Primum* quodlibet ratiocinium nostrum aut affirmativam, aut negativam conclusionem habere debere; cumque conclusio potissima sit ratiocinii pars, ratiocinium tunc dici debere *negativum*, quando habet conclusionem negativam: *affirmativum* autem, cum habet conclusionem affirmativam; eo vel magis quod si conclusio negativa sit, habebitur etiam una praemissa negativa; adeoque major numerus negativorum judiciorum, qui in ratiocinio haberi potest. *Secundum* et quidem maximi momenti facilem scilicet praeberi modum; data necessitate ratiocinii efformandi, seu investigandi per ratiocinium, num duo conveniant inter se, an non, seu demonstrandi per ratiocinium eamdem convenientiam, vel disconvenientiam; ad inveniendam mediam ideam necessariam ad comparationem instituendam cum ideis principalibus; in quo tantopere tirones solent defatigari. Neque enim cujuscumque rei idea apta est ad comparationem hujusmodi semper instituendam. Sane quemadmodum in materialibus, et mechanicis non quaelibet comparatio apta invenitur ad aliquid investigandum: sic

ex. gr. mensura palmorum apta erit ad inveniendam aequalitatem, vel inaequalitatem duarum longitudinum, non vero ad concludendam aequalitatem, vel inaequalitatem bonitatis duorum, puta, numismatum argenteorum, duarum gemmarum etc.: ita non quaelibet idea apta est ut assumatur tamquam regula ad aliquid in ratiocinio concludendum. Ad quid sane valebit, puta, idea *infinite perfecti* ad examinandum per ratiocinium, num homo vere dici possit *animal rationale?* Atqui econtra valebit mirifice ad ostendendam Dei omnipotentiam. Dico enim *Deus est infinite perfectus; sed qui est infinite perfectus, debet esse omnipotens*; *ergo Deus est omnipotens*. Nihilominus attendatur, quod in quolibet ratiocinio una praemissa affirmativa saltem haberi debet. Facile ex hoc inferetur; habito respectu ad id, de quo agitur, et quod concludendum sive affirmative, sive negative proponitur; qua ratione facile idea media necessaria adinveniatur. Si enim una ex praemissis semper affirmativa sit oportet; ergo una idea principalis semper convenire debet cum media: diligenter ergo examinetur natura, qualitas aliqua essentiam constituens, et essentialiter conveniens uni ex ideis principalibus habito respectu ad id, de quo agitur; hac vero inventa, ipsa sumatur pro idea media, et facillime ratiocinium efformabitur. Dicunt historici ex. gr. Titum fuisse clementem; id cum ratione edicunt, an non? Examino ergo quid

sit esse *clemens*. Qui difficile irascitur, qui saepius parcit, qui imperando facile abstinet se ab exquisitis suppliciis inferendis, certe clementis nomen meretur. Sumo ergo qualitates praedictas clementiae naturam constituentes pro idea media, et dico. *Qui tales qualitates habet, clemens est*: comparo inde hasce ipsas qualitates cum Titi actionibus, cumque eas ex historia in Titi agendi modo inveniam, iterum dico; atqui *Titus tales habuit qualitates*; ergo, concludo, *Titus vere fuit clemens*. Si cum talibus qualitatibus Titi agendi modum comparando, hominem invenissem pronum ad iram, vindictae cupidum, raro, vel numquam inimicis parcentem, ob quaecumque leviora delicta exquisita tormenta postulantem: in secundo judicio dixissem; atqui *Titus tales non habuit qualitates*, et conclusio esse debuisset; ergo *Titus non fuit clemens*. Similiter ut concluderet quis, num hae qualescumque meae Logicae institutiones rite exaratae sint, an non; interim tenere deberet, quod Logica rite instituta sit ars bene cogitandi, seu ars veritatem inveniendi, seu quae praecepta tradit, quibus facile quis possit veritatem perscrutari: teneat ergo primam praemissam affirmativam, *Illae Logicae institutiones rectae institutae sunt, quae praecepta tradunt ad veritatem facile inveniendam*; in decursu lectionis hujus meae lucubrationis mediam hanc ideam tenendo, scilicet ejus, *quod praecepta tradit ad*

facile inveniendam veritatem, si noverit talem proprietatem meis hisce institutionibus convenire, dicet; *atqui institutiones hujusmodi hoc praestant*; *ergo hae Logicae institutiones rite institutae sunt*: negative econtra concludet, si hasce institutiones id noverit non praestare. Tam in primo, quam in secundo casu potuisset, et posset quis loco examinandi, quid secum ferant vel clementia, vel institutiones Logicae, quae rite institutae sint, examinare prius vel quid in sua agendi methodo praestiterit Titus, vel quid mea hujusmodi lucubratio praestitura sit; relate ad id, quod per praecepta in decursu Operis a me tradita posset quis consequi emolumenti, et utilitatis ad veritatem investigandam: comparando deinde actiones Titi cum clementia; id quod possit quis ex meis hisce institutionibus consequi cum eo, quod ars bene cogitandi praestare debet, facile concludet, Titum fuisse clementem, vel non; meas hasce institutiones bene, aut male exaratas fuisse, prout viderit actiones Titi cum idea clementis convenire, vel non; id, quod praestant meae institutiones, convenire, aut non convenire cum eo, quod ab arte bene cogitandi praestandum est. Quid sane facit aurifex, dum argentea, vel aurea quae putatur massa ei offertur, ut concludat, vere ne argentea, an aurea, aut cujus bonitatis illa sit? Sumpto lydio lapide, vel prius massae datae qualitatem in ipso experitur; inde vero argentum, vel

aurum bonae qualitatis ; et dicit : qualitas massae datae haec est ; atqui qualitas auri , vel argenti est , aut non est qualitatis ejusdem ; ergo massa data vere aurea , vel argentea est , aut non est : aut econtra prius veri auri , aut argenti in lydio lapide experitur qualitatem ; inde datae massae ; et pro ratione , qua invenit convenire , vel non convenire qualitatem veri auri , vel argenti cum qualitate massae propositae , ejusdem massae decernit , et concludit bonitatem , vel eam excludit.

CAPUT II.

De Argumentatione , variisque argumentandi Generibus .

Una mentis ratiocinatio , seu plures simul ratiocinationes , quarum una alteram firmat , vel excipit , verbis expressae dicuntur *Argumentatio* . Licet autem unica tantum sit ratiocinandi ratio, potest tamen variis modis ea exterius manifestari; quandoque etiam plures, ut innui, ratiocinationes, quarum una alteram firmat, aut excipit, et ad unius principalis propositionis veritatem investigandam inserviunt, insimul nexu quodam conjunguntur, et per unicam argumentationem exprimuntur , unde varia argumentandi genera exurgunt .

Frequentissima tamen , quaeque perfecte unico ratiocinio mentis respondet , argumentatio est

Syllogismus simplex. Sicut ergo in ratiocinio quolibet tres sunt ideae, et tria sunt judicia; duae scilicet praemissae, in quibus comparatio fit ideae mediae cum principalibus, et unum consequens, in quo principales vel conjunguntur, vel disjunguntur; ita et in syllogismo simplici *tres* habebuntur *termini*, *et tres propositiones*. Terminorum occurrentium in tertia propositione syllogismi ille, qui cum media idea confertur in prima propositione, dicitur *terminus major*, alter, qui in secunda confertur, *terminus minor*; terminus vero ideam mediam repraesentans, dicitur *medius*: similiter ex tribus propositionibus syllogismum constituentibus prima dicitur *propositio major*, secunda *minor*; ambae autem communi nomine *praemissae* dicuntur; tertia demum *conclusio*, *consequens*, *illatio* etc.

Adverte tamen abstinere ut plurimum, qui syllogistice contendunt, a voce *consequentia* ad indicandam tertiam propositionem syllogismi seu illationem; proprie enim per hanc vocem Dialectici potius indicare solent, ut innuimus de ratiocinio agentes, formam syllogismi, seu connexionem, quae est inter praemissas, et consequens ob rectitudinem ratiocinationis per syllogismum verbis expressae, quam ipsum consequens; unde fit, ut quandoque verum dicant consequens syllogismi alicujus, falsam autem consequentiam; eo quod non bene intituta sit ratiocinatio, nec syllogismus; licet vera forte sit in se, non tamen propter praemissas, et

vi ratiocinationis, seu formae syllogisticae propositio, quae in consequente enunciatur. Tres igitur tántum termini in quolibet syllogismo simplici inveniuntur, *Major*, *Minor*, *Medius*, seu duo prinpales, qui etiam *Extremi* vocantur et sunt subjectum, et praedicatum consequentis, et *Medius*. Verum cum hi variis modis possint invicem conjungi in majori, et minori propositione, inversis praemissis, ponendo primo loco, quae est in secundo, et vicissim, hinc propositio major potest evadere minor, minor autem major; uti terminus minor fieri major, et viceversa. Sane syllogismus, puta, *incorporeum cogitans est spiritus*: *anima humana est incorporeum cogitans*; *ergo anima humana est spiritus*; potest, ut quisque facile intelligit, inverti dicendo: *anima humana est incorporeum cogitans*: *sed incorporeum cogitans est spiritus*; *ergo anima humana est spiritus*. In primo casu *anima humana* est terminus *minor*, et *spiritus* est *major*; in secundo *anima humana* est terminus *major*, *spiritus* terminus *minor*. Similiter in primo casu propositio *incorporeum cogitans est spiritus* est propositio *major*, in secundo erit propositio *minor*; uti altera propositio *anima humana est incorporeum cogitans* erit in primo casu propositio *minor*; in secundo autem propositio *major* (16).

(16) Ambo hujusmodi syllogismi diversimode exponi

Aliquando in enuntiando ratiocinio major, vel minor propositio reticetur. Tunc habetur argumentatio, quae dicitur *Enthymema*, quod est argumentatio duabus constans propositionibus inter se aperte connexis; quarum una *antecedens*, altera *consequens* appellatur ex. gr. *homo non est bellua*; *ergo Petrus non est bellua*. Vides ergo enthymema non esse, nisi syllogismum simplicem, in quo reti-

possent, nihil immutato sensu propositionum, subjecto unius praemissae posito pro praedicato, seu viceversa: ita loco primi dici potuisset: *spiritus est incorporeum cogitans*; *sed anima humana est incorporeum cogitans*; *ergo anima humana est spiritus*: similiter *incorporeum cogitans est spiritus*; *sed incorporeum cogitans est anima humana*; *ergo etc.*: demum *spiritus est incorporeum cogitans*; *sed incorporeum cogitans est anima humana*; *ergo etc.* Loco secundi pariter dici potuisset *anima humana est incorporeum cogitans*; *sed spiritus est incorporeum cogitans*; *ergo etc.*: deinde *incorporeum cogitans est anima humana*; *sed incorporeum cogitans est spiritus*, *ergo etc.* Tandem *incorporeum cogitans est anima humana*; *sed spiritus est incorporeum cogitans*; *ergo etc.* Hisce in animadvertendis plurimum Peripatetici adlaborarunt, unde tradere consueverunt, pro hisce diversis modificationibus terminorum propositionum hujusmodi diversas haberi syllogismorum *figuras*: perpendentes insuper, quod propositiones constituentes syllogismum possunt esse modo universales affirmativae, modo negativae pariter universales; similiter modo ajentes particulares, modo particulares negantes, seu singulares; pro diversis hujusmodi casibus habito respectu ad singulas fi-

cetur major, vel minor; sic in allato exemplo reticetur minor *sed Petrus est homo*. Monitum tamen hic volo, periculosissimum argumentandi genus hoc esse: facile enim evenire potest, ut vel ratiocinium non bene institutum, et in forma deficiens repraesentet; vel propositio, qualis servata forma esse debet, et reticetur, aut falsa sit, aut non sit adeo evidens, uti supponitur. Tirones ut

---

guras praedictas docuerunt 64. diversos syllogismos inveniri posse, et has diversitates *modos* syllogismorum vocarunt. Statutis deinde infinitis propemodum syllogismorum legibus, observarunt, ex praedictis 64. modis decem tantum, et novem esse eos, qui in forma non deficerent; appellatisque pro positionibus universalibus ajentibus A, negantibus E; particularibus ajentibus I, negantibus O inanes quosdam sine mente sonos excogitarunt, ex quibus sequentes versiculos memoriae tironum juvandae causa efformarunt

I. Barbara, Celarent, Darii, Ferio, IV Bamalipton,
Camentes, Dimatis, Fesapno, Fresisomorum,
II. Cesare, Camestres, Festino, Barocco, III. Darapti,
Felapton, Disamis, Datisi, Broccardo, Ferison.

Per numeros I., IV. etc. indicatas voluerunt syllogismorum figuras, per voces autem sub quovis numero contentas modos syllogismorum illius figurae, qui in forma non peccarent. Per vocem *Barbara* ex. gr., quia vox haec habet tres A, indicabant syllogismum in prima figura, qui habeat tres propositiones universales affirmantes, per *Celarent* sillogismum in prima figurâ, qui habeat primam propositionem universalem negantem, secundam universalem affirmantem, tertiam pariter universalem negantem, quia

plurimum per enthymemata argumentantur: facile enim cuique est ponere propositionem; inde inferre quidquid sibi lubet tamquam consequens, licet nullam habeat cum antecedenti connexionem, adeoque enthymema construere, quod sit contra naturam ipsius enthymematis, quae est ut rectum neque

---

vox *Celarent* habet vocales E, A, E, et ita porro: hinc syllogismus in *Barbara* esset ex. gr. sequens. *Omnis rationalis est vivens*; *sed omnis homo est rationalis*; *ergo omnis homo est vivens*. In expositis vocabulis habentur duo *Bamalipton*, et *Fresisomorum*, in quibus resecandae sunt syllabae *pton*, et *morum*, quae additae sunt tantum ad sonum metricum complendum. In hisce enucleandis, volutandisque magna Logicae Peripateticorum pars continebatur. Non diffiteor verissima esse ea omnia, quae hisce sub documentis a Scholasticis tradita sunt; sunt tamen ea, quae maxime defatigant et mentem, et memoriam tironum, quae in praxi impossibile est, ut prae oculis semper haberi possint quaeque inspectis, quae a nobis tradita sunt, et tradentur in hac facti specie, ridicula evadunt, nulliusque emolumenti; cum nostra, et sequiorum Philosophorum documenta brevius, felicius, et facilius id praestent, quod per illa a Peripateticis praestabatur. Nihilominus cum non defuerint, quibus fuit piaculum a Peripateticorum placitis declinare, operae praetium duxi, aliquam de iis mentionem facere, ut qui cupit, intelligat, quid ea sint: quem etiam moneo, ut si prolixius de iis erudiri voluerit, adeat inter recentiores *Corsinium Log. Par.* 3. *Cap.* 4., *et seqq.*, et *Werneijum* in *Appendice ad Logicam*.

in forma, neque in materia peccantem syllogismum proponat, seu ratiocinium verum, et concludens, non expressa compendii gratia una ex praemissis. Si quis diceret ex. gr. *Logica est ars bene cogitandi*; *ergo Franciscus est romanus*, enthymema confecisset: at quae connexio inter Francisci patriam, et quod Logica sit ars bene cogitandi? Hic habentur quatuor termini, nempe *Logica*, *ars bene cogitandi*, *Franciscus*, *romanus*. Similiter si diceret *Deus est omnipotens*; *ergo Petrus est fur*; praeterquamquod hic quoque quatuor termini habentur: si ii ad tres redigi velint, et servans formam construi syllogismus, minor quae unice subaudiri potest, ea foret: atqui *stante Dei omnipotentia Petrus est fur*: at ratiocinium hujusmodi peccat in materia, ut patet: quaecumque autem alia propositio pro minori subaudiretur, non amplius haberetur necessaria ratiocinii *forma*; ergo tales ratiocinationes insulsae sunt. Quandoque etiam enthymema conficitur, quod revera includit bene formatum ratiocinium; at propositio, quae reticetur, falsa cuique apertissime non erit; erit tamen talis, ut discussionem aliquam mereatur, et inquisitionem, antequam pro certo vera haberi possit: in hoc casu qui enthymemate utitur, arrogantis, et temerarii notam non effugiet. Quod enim quis propositionem aliquam pronunciet non satis certam, et exploratam, eamque proponat in syllogismo uti veram; audientibus tamen exponat discutiendam, et examinandam, ex-

cusationem meretur; at eam si reticeat per enthymema argumentando, eam sic pro certo vera ab omnibus admittendam supponens, ut nulla ratione egeat, ut discutiatur, id maximam arrogantiam sapit: id quod tamen per enthymemata argumentando facile evenire potest. Nimis ergo periculosum argumentandi genus est enthymema, neque adhiberi fas est, nisi interius rite efformato ratiocinio, suppressa propositione aliqua compendii gratia, quae talis sit, ut a nemine possit in dubium revocari.

Sed jam reliqua argumentandi genera percurramus, eaque omnia, quomodo uni, vel pluribus syllogismis simplicibus sive se excipientibus, sive invicem se firmantibus respondeant, interim demonstremus; cum una tantum sit in mente ratiocinandi forma, ut jam ostensum est, quaeque syllogismo tantum simplici respondet. Et primo habetur *Prosyllogismus*, qui est duplex syllogismus ita connexus, ut consequens primi sit major posterioris. Talis est *Scriptura sacra est verbum Dei*, *sed verbum Dei est infallibile*; *ergo Scriptura sacra est infallibilis*; *sed quod infallibile omnem meretur fidem*; *ergo Scriptura Sacra omnem meretur fidem*. Consequens prioris syllogismi *Scriptura sacra est infallibilis* locum tenet majoris, ut patet in syllogismo secundo.

Secundo loco se offert *syllogismus compositus*, qui ille dicitur, cujus una praemissa est composita, seu complexa propositio conditionalis, vel

disjunctiva, vel copulativa. Sic sequentes *si sol lucet, dies est; sed sol lucet; ergo dies est*; et negative *si sol non lucet, dies non est; sol non lucet; ergo dies non est*. Similiter *Petrus aut est Romae, aut Parisiis, aut Neapoli; est Romae; ergo neque Parisiis, neque Neapoli est*, seu positive concludendo; *sed non est neque Parisiis, neque Neapoli; ergo est Romae*. Demum *majestas, et amor simul stare non solent; hic est majestas; ergo difficile habetur amor*. Porro en prosyllogismi, adeoque, et syllogismi simplices juxta ea, quae mox de prosyllogismo dicta sunt, quibus praedicti syllogismi compositi respondere debent, quique in causa sunt, cur concludant et istae argumentationes. Primo itaque respondet prosyllogismus *quoties habetur causa necessaria alicujus effectus, debet haberi effectus; atqui causa necessaria diei est, quod sol luceat; ergo quoties sol lucet, dies esse debet; atqui nunc sol lucet; ergo nunc dies est*. Secundo *quando abest causa unica alicujus effectus, effectus ipse absit oportet; atqui causa unica diei est, quod sol luceat; ergo absente luce solis dies esse non potest; atqui nunc est tempus in quo sol non lucet; ergo nunc dies esse non potest*. Tertio *Petrus tribus simul locis morari non potest, sed in uno tantum; atqui Roma, Parisii, et Neapolis tria diversa loca sunt; ergo simul in iisdem morari nequit Petrus, sed in uno tantum eorum; sed*

moratur Romae; *ergo neque Parisiis*, *neque Neapoli*. Quarto *Petrus tribus simul locis morari non potest*, *sed in uno tantum eorum*; *sed Roma*, *Parisii*, *et Neapolis tria sunt diversa loca*, *in quibus morari debet Petrus*, *ut supponitur*; *ergo in uno tantum eorum morari debet*; *sed non moratur neque Parisiis*, *neque Neapoli*; *ergo moratur Romae*. Quinto demum *duo*, *quae aliquo modo opponuntur difficile ut sint simul*; *sed majestas*, *et amor sunt duo*, *quae aliqua ratione opponuntur*; *ergo difficile stabunt simul*; *sed hoc loco habetur majestas*; *ergo difficile ibidem erit amor*.

Sequitur *Inductio*, scilicet enthymema in cujus antecedente affirmato, vel negato aliquo de singulis individuis alicujus generis, vel speciei, idipsum in consequente de genere toto, vel specie, non tamen collective sumptis eorum individuis, affirmatur, vel negatur ex. gr. *Petrus*, *Joannes*, *Franciscus etc. nempe reliqui homines sunt animalia*; *ergo omnes homines sunt animalia*; seu *nec Petrus*, *nec Joannes*, *nec aliquis ex hominibus est brutum*; *ergo nullus homo est brutum*.

Tale enthymema, uti et cetera omnia, quibus continetur aliqua inductio, huic prosyllogismo respective respondet; adeoque et syllogismis simplicibus. *Quod convenit singulis individuis alicujus generis*, *toti etiam generi debet convenire*,

dummodo non sumatur collective; *atqui Petrus*, *Joannes*, *Franciscus etc. constituunt omnia humanitatis individua*; *ergo quod his singulis convenit*, *toti humanitati distributive sumptae debet convenire*; *atqui Petro*, *Joanni*, *Francisco etc. convenit animalitas*; *ergo omnibus hominibus convenit animalitas*: seu econtra, si inductio negativa fuerit: *quod nulli ex individuis alicujus generis convenit*, *praedicari nequit de illo genere distributive sumpto*; *atqui Petrus*, *Joannes*, *Franciscus etc. constituunt humanum genus*; *ergo quod nulli ex his convenit*, *neque toti humanitati distributive sumptae potest convenire*; *atqui nec Petro*, *nec Joanni*, *nec Francisco etc. convenit esse brutum*; *ergo nullus homo est brutum* (17).

---

(17) Patet ex hoc; quod si in inductione individua, quae enumerantur, non sint revera omnia, quae tale genus constituunt, una ex propositionibus prosyllogismi, cui correspondet inductio, et quae reticetur; nempe atqui *enumerata constituunt universum tale genus*, falsa erit; adeoque inductio nihil concludet, utpote respondens alicui syllogismo peccanti in materia. Nihil certe id adnotasse mea hoc loci interesse deberet, ubi de iis tantum sermo est, quae spectant ad formam tum ratiociniorum, tum argumentationum; nihilominus pro opportunitate monitum volui, ut simul adnotarem, quod aliquando admittuntur tamquam validae, et concludentes nonnullae inductiones hujusmodi, in quibus non enumeratis omnibus individuis da-

Aliud argumentandi genus est *Exemplum*, quod similiter per enthymema exprimi solet, in cujus consequente affirmatur, vel negatur de aliquo, quod de alio affirmatum, vel negatum est in antecedente ob rationis similitudinem. Ex. gr. *David peccator poenitentiam agens salvus factus est*; *ergo et Petrus peccator poenitentiam agens salvus fiet*. Vim habet exemplum quodlibet, quia resolvitur in prosyllogismum hoc modo, aut aequivalenti. *Rebus similibus similia praedicata conveniunt*; *sed David*, *et Petrus poenitentes sunt similes*; *ergo eis similia praedicata conveniunt*; *sed Davidi poenitenti salus obvenit aeterna*; *ergo et Petro poenitenti obveniet*; ergo si prosyllogismo aequivalet *Exemplum*, etiam duobus simplicibus syllogismis respondebit, et per hoc vim omnem consequetur (18).

---

ti generis, omnibus tamen attribuuntur, vel excluduntur ab omnibus qualitates nonnullae; quaeque proinde *Inductiones imperfectae* dicuntur. Istae tamen, ut inquiebam, sunt validae, quando nimirum agitur de aliqua qualitate essentialiter requisita, vel exclusa a singulis individuis dati generis, quam proinde ob analogiam, seu identitatem naturae inter membra enumerata, et non numerata, supponi non potest non requiri, vel non excludi etiam ab individuis dati generis, quae sic reticentur in inductione.

(18) Praestat hic quoque adnotare, uti superius de Inductione, ne falsa sit propositio, quae reticetur in exem-

Insuper habetur *Sorites*, nempe argumentatio pluribus constans propositionibus eo ordine dispositis, ut praedicatum antecedentis fiat subjectum sequentis, donec concludatur propositione, cujus subjectum est subjectum primae, praedicatum autem est praedicatum ultimae. En exemplum *Petrus est homo, homo est animal, animal est vivens, vivens est substantia, substantia est creata, vel increata; ergo Petrus est creatus, vel increatus.* In sorite tot latent syllogismi simplices, quot sunt propositiones inter primam, et ultimam: sic in exemplo primus est; *Petrus est homo; sed homo est animal; ergo Petrus est animal. 2. animal est vivens; sed Petrus est animal; ergo Petrus est vivens. 3. vivens est substantia; sed Petrus est vivens; ergo Petrus est substantia. 4. substantia est creata, vel increata; sed Petrus est substantia; ergo Petrus est creatus, vel increatus.* Ergo *sorites* est argumentatio pluribus respondens ratiociniis sese excipientibus.

Tale est etiam *Dilemma*, *Argumentatio* nimirum *cornuta*, ut eam appellat Cicero, in qua posita pro majori divisione aliqua bimembri disjun-

---

plo, in qua asseritur vera similitudo inter duo subjecta, de quibus sermo, et vi cujus instituitur exemplum; alias peccabit in materia unus ex syllogismis in exemplo contentis, proindeque nec ipse, nec exemplum validam, et veram dabunt conclusionem.

etiva; quod de ambabus partibus, seu membris in minori asseritur, vel negatur addita ratione, idipsum de toto diviso asseritur, vel negatur in consequenti. Ex. gr. sic dilemmate conficiam, neminem in hac vita felicem esse. *Quicumque vivit, aut servit suis cupiditatibus, aut eis obsistit; atqui si servit, infelix est; rei enim turpi servire miserum est; si obsistit, infelix est; perpetuum enim bellum sibi indicere debet; ergo quicumque vivit infelix est.*

In soritem sic resolves dilemma *quicumque vivit, aut inservit suis cupiditatibus, aut eis obsistit; quicumque servit, aut obsistit suis cupiditatibus, aut servit rei turpi, aut perpetuum sibi bellum indicit; qui aut servit rei turpi, aut perpetuum sibi bellum indicit, infelix est; ergo quicumque vivit, infelix est.* Atqui sorites syllogismis simplicibus aequivalet, et ideo vim habet, et concludit; ergo et dilemma. Quandoque eodem modo argumentatio instituitur, sed propositio major est divisio trimembris, quadrimembris etc., et tunc dicitur *Trilemma*, *Tetralemma* etc.

Praeter argumentationes hactenus enumeratas compendiose continentes plures ratiocinationes sese excipientes, una habetur continens plures pariter ratiocinationes, sed quarum una alteram firmat. Talis est *Epicherema*, seu *Argumentatio* oratoribus communis, quae non est nisi syllogismus, cujus uni, vel utrique praemissae sua adjungitur pro-

batio; sic sequens *qui occidit injuste alium, perpetuo sibi timere debet*; *nam fieri potest, ut delictum patescat, et occisor offendat aliquem, qui vel odio eum interficiat, vel jure postulet de crimine*; *sed Titius, puta, Sempronium occidit*; *id enim tali ex. gr. monumento constat certissimo*; *ergo perpetuo sibi timeat, necesse est.*

Tribus syllogismis aequivalet epicherema hujusmodi; principali, in quo dicitur, *qui occidit injuste alium, perpetuo sibi timere debet*; *sed Titius injuste Sempronium occidit*; *ergo sibi perpetuo timere debet*. Alteri, quo probatur veritas propositionis majoris primi; nimirum *qui delictum perpetravit facile detegendum, et ex cujus detectione mors ei imminere potest vel ex odio laesi, vel ex justitia Principis, perpetuo timere debet*; *atqui qui injuste occidit alterum, talis est*; *ergo qui injuste alterum occidit, perpetuo sibi timere debet.* Tertio demum, quo probatur veritas minoris propositionis primi syllogismi, scilicet *quod ex certissimo monumento constat, negari haud potest*; *sed quod Titius Sempronium occiderit*; *monumento constat certissimo*; *ergo etc.*

CAPUT TERTIUM

DE LEGIBUS ARGUMENTANDI, SEU DE REGULIS INVESTIGANDI ARGUMENTATIONIS CUJUSCUMQUE FIRMITATEM.

Monemus hic iterum, quod de ratiocinio disserendo adnotavimus, de ea tantum firmitate hic nos loqui, quae a recta argumentationis forma pendet; ut verae scilicet dicendae tuto sint argumentationis cujuscumque illationes propter praemissas, seu quia recte institutae sint argumentationes. Quod enim ad earum materiam, seu veritatem, et falsitatem propositionum, quae in praemissis adhibentur, examinandam spectat, in altera parte Logicae sermo erit, ut ibidem adnotavimus: semper hic tamen Tironibus ad memoriam revocantes, quod si in quacumque argumentatione aliqua propositio falsa, vel dubia sit, cum habeatur defectus in materia, conclusio quoque vel falsa, vel dubia sit oportet. Omnis itaque argumentatio nostra, uti in capite antecedenti innuimus, vel est syllogismus, vel uni, aut pluribus syllogismis simplicibus respondet; imo non modo ad simplices syllogismos redigi possunt argumentationes omnes, sed insuper ea esse debet earum indoles, ut idcirco tantum concludant, atque necessario demonstrent, quod in iis probandum assumitur, quia vim unius, vel multiplicis syllogismi simplicis in se habent; alias conclude-

rent profecto numquam, cum unica tantum sit ratio, qua mens nostra ratiocinari potest, et unicus syllogismus simplex ei perfecte respondeat.

Expositis itaque syllogismi simplicis regulis, seu legibus, et regulis pro investiganda ejus firmitate, hae pro investiganda cujuslibet argumentationis rectitudine, et firmitate inservient. Proposita enim argumentatione alia quacumque, ad ejus rectitudinem examinandam redigere prius illam debebis juxta ea, quae capite superiori tradidimus, ad syllogismi simplicis, seu syllogismorum, si pluribus aequivaleat, et cui, vel quibus aequivalere debet, rationem: quem, seu quos si juxta tradendas regulas institutum, seu institutos animadvertes, nec hunc, nec hos, nec argumentationem ei, vel eis respondentem peccare dixeris in forma; secus vero omnia in eadem peccare, jure meritoque concludes.

Sed quae tandem erunt syllogismi simplicis leges? In singulis modis, et figuris suas Peripatetici assignabant propemodum infinitas. Auctor Artis cogitandi *p.* 3. *c.* 10., Corsinius *Log. parte* 3. *c.* 3., Clercius *Log. p.* 4. *c.* 5., Buffierius *Princ. du raisonement* singuli singulas excogitarunt. Recentiores vero Dialectici ut plurimum septem, nonnulli etiam octo numerant, quas totidem versiculis efferunt memoriae juvandae gratia. Has omnes ut plurimum veras esse, et summo ingenii acumine excogitatas non negamus: at si in

praxi expedita magis via adinveniatur, nonne ea erit praeferenda? Regulae porro illae omnes, si non falsae, saltem vel ideam jam a nobis traditam syllogismi non supponunt, vel ad tres sequentes rediguntur, nisi multum me amo; et syllogismus quivis regulas mox exponendas servans certo certius recte institutus dicendus erit: econtra vero non erit bene institutus, quoties in aliquam earum peccaverit. Versiculis itaque tribus ex octo recentiorum Dialecticorum desumptis sic eas propono. *Terminus esto triplex, major, mediusque, minorque. Utraque si praemissa neget, nihil inde sequetur. Sit parti similis conclusio deteriori*; nempe *in syllogismo tres tantum termini inveniantur, oportet*, ut sit recte institutus, ea scilicet ratione in tres propositiones distributi, quemadmodum natura syllogismi a nobis superius exposita inquirit. Secundo *una saltem ex praemissis debet esse affirmativa*. Tertio demum *si habeatur una ex praemissis negativa, talis etiam conclusio sit oportet.* Supposita ergo syllogismi notione, de qua superiori capite, sic ostendo syllogismum quemlibet *in forma* peccare haud posse eo ipso quod juxta tres hujusmodi regulas efformetur; contra vero non recte institutum, quoties in earum aliqua defecerit. Et quoad primum. Ille syllogismus in forma non peccat, in quo verum necessario sit consequens propter praemissas; id autem necessario evenire debet, quoties syllogismus re-

cte institutam ratiocinationem exprimat; eadem enim utriusque indoles, et syllogismus non est, nisi expressio unius ratiocinii, quod a mente peragitur; atqui syllogismi omnes, in quibus regulae illae serventur, non possunt non exprimere ratiocinium recte efformatum. Sane recolantur dicta capite primo de natura, et firmitate ratiocinationis, et liquido apparebit veritas hujus propositionis. Juxta enim ibi tradita, syllogismus ille certo exprimet recte institutum ratiocinium, cum illud exprimit, in quo asseratur duo aliqua inter se convenire, vel non convenire; quia vel ambo conveniunt cum tertio quopiam, vel uno conveniente cum tertio alterum non convenit. Neque enim alia est recte instituti ratiocinii natura, nullumque firmum, proindeque rectitudinem servans ratiocinium, nisi quod innitatur alterutri ex illis axiomatibus *quae sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se*; *ex duobus si unum conveniat cum tertio quopiam, cum quo alterum non convenit, nec illa poterunt convenire inter se*: atqui ille syllogismus, in quo tres tantum sint termini, unaque saltem praemissa fuerit affirmativa, et existente una praemissa negativa habeat pariter negativam conclusionem, supposita syllogismi notione, ratiocinium hujusmodi exprimit; syllogismus enim tres tantum habens terminos, unamque saltem praemissam affirmativam, et si habeat unam praemissam negativam; negativam similiter habeat conclusionem, suppo-

sita semper syllogismi, ut diximus, notione, opus est, ut pro consequenti propositionem habeat, in qua dicatur duo quaepiam convenire, vel non inter se; pro majori autem, et minori duas alias, in quarum unaquaque separatim asseratur, in primo casu utrumque convenire cum medio quodam; in altero vero, quo conclusio scilicet fuerit negativa; in una dicatur unum convenire cum medio quodam, in altera vero alterum cum eodem non convenire; quod idem est ac dicere, opus esse, ut ratiocinium exprimat recte institutum ut supra; ergo syllogismus servans tres traditas regulas non potest *in forma* peccare. Sed jam eo ipso facile est intelligere, quod si syllogismus aliquis in aliquam legem ex assignatis peccaverit, jam rectam formam non servabit; quod erat secundum ostendendum. Sane syllogismus in forma deficiat, necesse est, quoties non exprimat recte institutum ratiocinium; atqui juxta ratiocinii naturam, et formam non poterit exprimi ratiocinium recte institutum ab eo syllogismo, qui vel plures, vel pauciores habeat terminos, quam tres; vel in quo ambae praemissae fuerint negativae, vel in quo existente una praemissa negativa affirmative concludatur, ut patet ex iis, quae de ratiocinatione tradidimus; ergo etc. (19)

---

(19) Versiculi, quibus Dialectici recentiores solent exprimere omnes syllogismorum regulas, sunt sequentes.

Habetis itaque, tirones optimi, regulas, quibus non modo recte efformare syllogismos, sed et investigare poteritis, num argumentatio quaelibet formam legittimam servet: quam si non servet, argumen-

---

I. Terminus esto triplex, major, mediusque, minorque.
II. Latius hunc, quam praemissae, conclusio non vult.
III. Nequaquam medium capiat conclusio oportet.
IV. Aut semel, aut iterum medium generaliter esto.
V. Nil sequitur geminis ex particularibus umquam.
VI. Utraque si praemissa neget, nihil inde sequetur.
VII. Sit parti similis conclusio deteriori.
VIII. Ambae affirmantes nequeunt generare negantem.

Porro ex his, sublatis prima, et sexta, de quibus jam egimus, et pro aliqua parte etiam septima, ut mox innuemus quid reliqua insinuant, quod semper sit certo verum, vel quod supposita syllogismi idea, quam hic supponere debemus, non sit omnino inutile, aut non redigatur ad primam, et sextam jam a nobis indigitatas; vel demum materiam potius, quam formam syllogismi non respiciat, pro qua secunda tantum hic nobis regulae tradendae sunt? Sane secunda dicit, quod in conclusione termini, scilicet extremi, non sint ampliores, quam in praemissis; peccaret contra hanc regulam sequens syllogismus. *Omnis homo est aliquis rationalis*; *Petrus est homo*; *ergo Petrus est omnis rationalis*, ubi in majori habetur *aliquis rationalis*, in conclusione *omnis rationalis*. At quis non videt, talem syllogismum peccare in primam regulam; *aliquis* enim *rationalis*, et *omnis rationalis* sunt duo termini diversi; ergo in syllogismo sunt quatuor termini. In tertia supponitur non haberi syllogismi notionem; Si enim in syllogismo,

tatio dicitur *Sophisma*, utpote quae rectum ratiocinium non exprimit, nihil concludit, et ad veritatem indigitandam, qui est argumentationis finis, non inservit. Abstinemus porro ab exponenda in-

---

sicut et in ratiocinio quolibet concludi debet, duos extremos convenire, vel non convenire, quia in praemissis vel affirmatum est ambos extremos convenire cum medio, vel in una ex praemissis dictum est, unum extremum convenire cum medio, in altera vero alterum extremum cum eodem medio non convenire, quomodo medius terminus potest unquam in conclusione haberi, quod vetat regula tertia? In quarta regula praescribitur, ut medius terminus in una ex praemissis sumatur generaliter, seu sit terminus generalis. Haec regula aut est falsa, aut redigitur ad primam. Sane si dixerim *hic homo est doctus*; *sed hic homo est Petrus*; *ergo Petrus est doctus*; quis non videt hunc syllogismum recte concludere, et tamen medius terminus *hic homo* semper sumitur singulariter? Certe ut plurimum medius terminus in una ex praemissis sumi debet generaliter, ne habeantur quatuor termini in syllogismo: fac *Petrum esse neapolitanum*; non recte concluderem ratiocinando *Petrus est aliquis homo*; *sed aliquis homo est romanus*; *ergo Petrus est romanus*, quia nimirum *aliquis homo*, de quo in majori, non est idem *aliquis homo*, de quo in minori; et tunc contra primam regulam sunt quatuor termini in syllogismo. Certe si in majori potuissem dicere cum veritate *Petrus est omnis homo*, vel in minori *omnis homo est romanus*, recte in forma procederet syllogismus; quia idem esset terminus medius, cum in termino *omnis homo* contineatur particularis *aliquis homo*, et juxta canones tra-

dole, aut fallacia sophismatis uniuscujusque in parculari; qua in re tantopere adlaborarunt Peripatetici; improbum laborem existimantes post expositas regulas, quae unicae sunt ad bene ratiocinan-

---

ditos de oppositione propositionum quod verificatur de subalterna universali, verificari etiam debet de particulari: respiciendo ergo ad syllogismi formam cavendum, ut terminus medius aliquando sumatur universaliter, ne periculum sit, quod quatuor termini contra primam regulam sint in syllogismo: ex altera vero parte sedulo animadvertendum, ne sumendo medium universaliter, dicatur falsum; at in hoc casu syllogismus peccaret in materia, de quo hic non quaerimus; et de quo non agunt, nec agere debent regulae, quae traduntur de syllogismi rectitudine, ut toties monuimus. Ex hac ipsa animadversione facta ad regulam quartam, patet regulam etiam quintam, in qua praescribitur, ut ambae praemissae non sint propositiones particulares; patet, inquam, hanc ipsam quintam regulam vel falsam esse posse, ut patet in exemplo mox allato de syllogismo *hic homo est doctus*; *Petrus est hic homo*; *ergo Petrus est doctus*, in quo ambae praemissae sunt singulares; et tamen recte concludit; vel redigi ad regulam primam, quia si praemissae sunt ambae particulares, cum habeant subjectum particulare, fieri potest, ut vel medius terminus, vel unus extremus, vel ambo, qui locum tenent subjecti praemissarum, non sint iidem termini cum iis, qui repetuntur, dum iidem redeunt in aliis propositionibus, adeoque habeantur quatuor termini in syllogismo. In regula septima, in qua animadvertitur, conclusionem debere esse similem parti deteriori, praescindendo ab eo, quod de hac

dum, et argumentandum, et quibus argumentatio quaelibet recte instituta a fallaci disterminari valeat, singulas enumerare sophismatum species, et in quo praecise eorum fallacia consitat exponere,

---

jam notavimus, nil ulterius traditur, quam in regula prima. Partis deterioris nomine intelligunt talem regulam efferentes, vel propositionem negativam, vel propositionem particularem, aut singularem; et praescribunt, quod si in praemissis habeatur aut propositio negativa, aut propositio particularis, vel singularis, talis etiam debeat esse conclusio. Porro quoad primum casum a nobis quoque tradita est: sed in secundo casu, supposita una saltem praemissa particulari, vel singulari, patet, quod undequaque te vertas, nisi particulariter concludas, habebuntur quatuor termini in syllogismo, adeoque syllogismus peccabit contra regulam primam. Per hanc regulam illud etiam innuere volunt, quod si una ex praemissis non sit certo vera, sed probabilis tantum, aut etiam falsa, conclusio quoque vel probabilis tantum, vel falsa erit. Certissima regula est, quia nimirum suppositis principiis toties jam dictis, *quae sunt* nimirum *eadem uni tertio* etc. *si ex duobus unum conveniat* etc., et quorum posita veritate homo recte ratiocinatur, et infert per syllogismum; si in una praemissa traditur tamquam certo verum, quod non est nisi probabiliter tale, vel prorsus falsum, vel male infertur, vel inferri ad summum potest probabiliter: at hoc respicit syllogismi materiam, non formam, de qua tantum hic nobis agendum est. Quod demum spectat ad regulam octavam, in qua dicitur, quod ex duabus propositionibus affirmativis haberi nequit negativa conclusio; satis perspe-

praesertim cum indoles, et fallacia sophismatum ut plurimum non ex formae, sed ex materiae defectu dependeat, de qua in secunda Logicae parte sermo erit (20).

---

ctum est, notionem ipsam syllogismi, seu ratiocinationis id importare. Cum enim nihil recte concludi possit, nisi vi dictorum principiorum, illaque efferant concludendum pro extremorum convenientia, seu affirmative, quoties ambo convenire inveniantur cum medio (non potest autem aliter esse eo ipso, quod duae praemissae affirmativae sint, ut patet); quomodo ergo si ambae praemissae affirmativae sint, poterit negative concludi? Regulae igitur istae omnes, exceptis tribus, quas nos etiam tradidimus, vel ad illas rediguntur, vel falsae etiam aliquando inveniuntur, vel canunt, ut ajunt, extra chorum, vel inutiles deprehenduntur.

(20) Sane nonne ridiculum foret post edoctum peregrinum, et advenam de itinere sibi carpendo e dato Urbis loco, ut ad Vaticanum, puta, Templum perveniat, supposito insuper quod illa unica sit via, qua talem metam valeat pertingere, ipsum insuper edocere velle de omnibus aliis viis, quas si triverit, continuo falletur, et nunquam ad optatum finem perveniet? Ita a pari in casu nostro: neque aliunde animus est mihi adolescentium mentes confundere tot ideis inutilibus, et ad veritatem inquirendam minime conducentibus; eo vel magis quod, ut inquiebam, formae sophismaticae hujusmodi argumentandi; quas ut plurimum ridiculis solent expressionibus innuere, ut sunt *circulus vitiosus*, *versatio pistilli*, *ignoratio elenchi*, *non causa pro causa*, et sexcenta his similia; in errorem inducunt non ex defectu *formae*, sed ex defectu *materiae*. Hic au-

Quod tamen sedulo animadvertendum in regularum, quas tradidimus, usu est, ne quandoque syllogismi, argumentationesque recte institu-

---

tem nobis, ut toties diximus, de forma, quam ajunt, ratiocinationis, et argumentationum tantum sermo esse debet, semper supponendo materiam bonam esse debere; quisque enim intelligit, ex falso, vel incerto nil nisi falsum, et incertum posse concludi. Sic ex. gr. circulus vitiosus tunc habetur, quando ad demonstrandam veritatem propositionis alicujus, de qua quaeritur, vera sit, an non; ratiocinatio instituitur, cujus una praemissa est ipsa, quae in quaestione versatur. Ita Aristoteles *Lib.* 2. de *Coelo c.* 8. probat sidera inerrantia maxime distare a nobis, dicendo *Quod scintillat maxime distare debet ab oculo prospicientis; sed sidera inerrantia scintillant; ergo maxime a nostris oculis distant*; hujus vero argumenti majorem sic demonstrat *Anal. Prior. Lib.* 1. *c.* 13. *sidera inerrantia maxime distant a nobis; sed sidera inerrantia scintillant; ergo quod scintillat, maxime distat ab oculis prospicientis*. Hoc certe argumentandi genus vitiosum est, sed ratio hujus vitii est in eo, quod datur uno loci pro certo, quod alibi in quaestione versatur, nec demonstrari potest verum, nisi supposito vero illo, quod in quaestione est. Verum talis defectus, ut quisque videt est in materia syllogismorum, non in forma. Ceterum aut sophismatum defectus est in forma, et ex dictis tantum hucusque non potest satis non detegi; aut est in materia, et tunc nullis opus est regulis, ut noscatur argumentationis fallacia, nisi iis, quibus egeat quis ad examinandum veritatem cujuscumque propositionis, ex qua inferuntur conclusiones; quas tamen regulas in secunda Logicae parte mox trademus.

tae cum sophismatibus confundantur, eo quia specie tenus in aliquam illarum peccare videantur: scilicet propositiones, quibus argumentatio aliqua efformatur, non juxta corticem, sed quoad sensum praecise examinandae. Plures enim, ut jam alias innuimus, erunt ajentes, licet videantur negantes, et viceversa: aliquando etiam in una idem, qui in altera, videbitur adesse terminus, revera autem duplex erit, si unice attendantur verba, quibus illae constant, non autem sensus. Res itaque periculi plena est, adeoque caute in argumentationum bonitate examinanda procedendum, et exercitatione plurima Tironibus opus est.

SECTIO QUARTA

DE METHODO

CAPUT UNICUM.

Leges, quibus suas debet mens hucusque recensitas operationes disponere, ut verum assequatur; vel ordo, quo aliis debet philosophus ideas, judicia, et ratiocinia mente concepta manifestare, ut verum inventum eos edoceat, *Methodus* audit apud Dialecticos. Non enim omnis veritas unico judicio percipitur, aut unico saltem ratiocinio investigatur; sicuti una tantum propositione, et argumentatione aliis suaderi saepenumero haud valet. Meditatione plurima persaepe opus est ad verum aliquod assequendum; operationesque omnes, quas meditando elicuimus, manifestemus oportet, ut alios de veritatibus meditando acquisitis imbuamus, et suadeamus. Perperam philosophi nomen sibi adjudicat, qui nulla habita ratione philosophicae mediationis, vel tantum paucis, vulgatisque perceptionibus, quae aut sponte se offerunt, ut ab aliis utcumque ignaris acceperit, contentus sit, vel absque studio, et meditatione veram scientiam obtinere posse arbitretur, vel quae meditando perceperit, nuda propositione, aut unica argumentatione ut plurimum velit aliis comunicare.

Veteres illi, et magni nominis philosophi Plato, Aristoteles, Leucippus, Democritus, Epicurus, Pythagoras, Archimedes, Hippocrates; tum et recentiores Verulamius, Galilaeus, Cartesius, Gassendus, Boyleus, Newtonus, Leibnitius, Volfius, ceterique hujusmodi non aliunde ad tantam excellentiam, celebritatem, venerationemque in pluribus apud posteras gentes pervenerunt, nisi quia seria meditatione segetem pulcherrimam veritatum collegerunt, collectamque studiose tradiderunt ea ratione, ut posteri de veritatibus ipsis suaderentur. Sane, qui meditationem respuunt, memoriam tantum incondita ad summum eruditione fatigant; qui vero ita veritates reconditas enunciare tentant, ut nulla ratione suasibili eas pronuncient, ii quidem psittacorum nomen, non philosophorum merentur, et ab doctorum hominum concione sibilo explodendi sunt.

Porro meditatio definiri potest mentis applicatio ad veritatem investigandam secundum leges nonnullas, quas ratio ipsa suppeditat, ut ex una notione in alteram mens deveniat, eo semper ordine, ut ex perspicuis, et claris ideis minus clarae, sed certo verae, magnaque cum reciproca connexione deducantur. Leges autem, quibus haec meditatio dirigitur, aliisque postmodum pro opportunitate manifestatur, *Methodus* ipsa est, de qua nunc nobis sermo: qua non servata mens nostra, nosque audientium, etiamsi plurima vel noverimus, vel tra-

damus, promptuarium quoddam inordinatum evadet, non alii profecto usui, et emolumento, nisi ut confusis ideis inficiamur. Hanc porro methodum duplicem, si rem intimius perscrutemur, invenimus; aliaque dici solet analytica a graeca voce ανάλυσις *resolutio*, alia vero synthetica a graeco themate σύνθεσις *compositio*; unde alia *compositionis* etiam, alia *resolutionis* dici consuevit.

Analytica itaque methodo, seu resolutionis utimur in meditando, quando posita re, cujus naturam inquirimus, eam probe intellectam, clara nempe terminorum, quibus ea proponitur, notione efformata, in partes seorsim dividimus, et singulas examini subijcientes earum naturam, et proprietates seorsim investigamus, et si opus etiam fuerit, per comparationes cum aliis ideis assumptis ratiocinando, separatim ad evidentiam usque demonstramus. Contra synthetica methodo ille uti dicendus est, qui, proposita re aliqua examinanda, definitiones prius certas minimarum etiam rerum, quae in investigatione occurrere possunt, sibi efformat; inde axiomata, et postulata etiam, si de re practica agatur, ad rem conducentia proponit, terminorum inde quaestionis claram ideam effingit; tum ex definitionibus, et axiomatibus, seu postulatis antea constitutis opportunas demonstrationes concinnat, eo tamen ordine, ut unius propositionis demonstratio pendeat ex altera; demum illationes,

quas potest, ex demonstratis propositionibus deducit.

Qui alterutram operationum hujusmodi seriem manifestat ad veritatem, quam ipse invenit, alios edocendam, et suadendam, analyticam pariter methodum, vel syntheticam dicitur adhibere.

Utriusque methodi exemplum in eo habes, qui investigare cupiens, vel alium docere causam motus horologii, ejusque constructionem; primo machinam ipsam integram assumens, partes invicem separans accuratissime earum connexionem perpendit, vel perpendendas proponit, donec ad elaterium perveniat, unde motum rotarum omnium exurgere facile intelligitur. Hactenus hic resolutionis methodo, seu analytica, quod contendebat, invenit, proposuitque. Quod si jam partes horologii invicem avulsas quis colligat, uniatque, donec machinam perfectam componat, motusque in ea excitetur; hac ratione operans denuo quis sibi, vel aliis ostendet, et quid motum horologio tribuat, quaeque ejus machinatio esse debeat, sed per compositionem, seu methodo synthetica.

Jam vero tum ex rei natura, tum ex adducto exemplo constat, syntheticam methodum ad veritatem inveniendam sine praeceptore minus aptam esse; supponere enim videtur in illo, qui ea utitur, rei notitiam, veritatisque cognitionem. Qui enim nunquam horologium vel decomposuit, vel machinationem ejus noverit, et partes, quibus ea compo-

ni debeat, impossibile ferme est, ut rotas, partesque illius sejunctas sic primum nullo dirigente conjungat, atque componat, multo minus eas sic primum possit divinare, quales esse debeant, ut horologii machina enascatur. Hinc methodus *analytica inventionis* etiam dicta est, *synthetica* autem *doctrinae*; per methodum enim analyticam quisque poterit sine doctore veritatem aliquam invenire, non item per syntheticam ut plurimum. Contra poterit quis per synthesim docere alios de veritate jam a se inventa, vel de qua ab aliis edoctus est; quam tamen ferme nunquam sine magistro solus eadem methodo investigabit.

Hinc jam apparet, methodum analyticam syntheticam longe antecellere, utpotequae ad veritatem tum edocendam, tum inveniendam facile conducat; quod tamen de synthetica methodo nemo, arbitror, asseverabit. At et alia habet incommoda gravissima methodus synthetica in rebus, quaestionibusque pertractandis, cum etiam de aliis edocendis sit sermo.

Cum enim ea a definitionibus, axiomatibusque initium sumat, ex eisque demonstrationes invicem connexae efformentur, illationesque deducantur, tota quaestionis pertractatio, ac demonstratio cadat, oportet, unica tantum falsa, vel dubia existente definitione, vel putato axiomate; quod quidem quam facillime evenire possit, nemo est qui non videat. At non idem accidit in methodo analytica: exemplo horologii superius exposito res fiet evidentior.

Qui per decompositionem horologii structuram velit addiscere, etiamsi non bene intelligat, vel non advertat partis alicujus structuram, positionem, et nexum, universam certe horologii organizationem nondum perspectam habebit; nihilominus ceterarum partium cum bene noverit et naturam, et connexionem, et circumstantias, magna ex parte horologii machinationem intellexerit. Idem dicito de eo, qui per analysim per expertum artificem de eadem structura doceatur. At qui nihil prorsus de horologio sciens, datis horologii partibus, per earum compositionem ejus structuram vult invenire, si in unius tantum rotae collocatione, quod facillime evenire potest, erraverit; cum ignoret, ubi erraverit, de universo opere suo dubitabit; adeoque frustraneus prorsus labor eo usque impensus omnino evadet: item eveniet ei, qui sic per synthesim etiam ab artis perito de horologii natura imbuatur; intelliget enim, puta, quod erraverit artifex in componendo machinam, videns nullum adhuc in illa motum excitari, sed cum perspicere nequeat, in quo, et ubi defecerit, anxius de singulis manebit, ac si de nullo prorsus fuisset edoctus. Periculo ergo plena est pertractatio rei alicujus methodo synthetica. Praeterquamquod cum per syntheticam methodum veritates inventae utique demonstrentur, quod tamen et analysis praestare poterit; quid ni magis expediet insimul et veritatem docere, et modum expeditum eam in-

veniendi proponere? Veritates profecto, quae ex certissimis axiomatibus, et definitionibus simplicissimis sponte fluant, non diffiteor, posse methodo synthetica proponi, imo etiam investigari. Hinc mathesis ut plurimum hac methodo pertractari solet a philosophis, et quidem felici eventu; ipsa enim simplicissimis axiomatibus, atque evidentissimis definitionibus innititur, nullamque propositionem complectitur, quae non sit certissima, et a principiis iisdem clara, ac evidenti ratiocinatione non descendat. At ubi agatur de aliis scientiis pertractandis, quaestionibusque enodandis, cum in iis pauca sint omnino certa, et indubia, plurimisque difficultatibus permisceantur, non modo ad veritates, quae in iisdem esse possunt, inveniendas, sed et ad pertractandas praestat per resolutionem, et analysim rem conficere, certaque ab incertis, si fieri potest, sic invicem separare; alias vel non invenies saepenumero definitiones omnes, et principia certa, quae praemittas, oportet; vel pro certis, evidentibusque statues ea, quae omnino dubia, vel falsa erunt: quo autem eventu, quisque facile inferre potest. Econtra vero analytice procedendo impossibile ferme est, ut fallaris; initium enim sumis a re omnino indubia, et evidenti, qualis est cognitio rei, prout jacet, tibique offertur examinanda. Hinc mirum non est, si Spinozae (21), Wol-

(21) Anno 1632. natum est hoc Atheismi monstrum Be-

fii (22) aliorum, cetera ingenii acumine non mediocri praeditorum hominum pertractationes praesertim metaphysicae erroribus scateant utpotequae synthetica methodo habeantur: quin imo et in ipsis mathematicorum voluminibus quot insulsa, et contradictoria non inveniuntur, ubi tantillum quaestionis insurgat; evidentiaque rei lateat, resque synthetice pertractetur!

nedictus Spinoza Amstelodami. Ex matre judaea ortum cum habuerit, judaicam prius superstitionem amplexus est: Christianae deinde Religioni sese addixit; sed tandem in atheismum deflexit. Magistrum habuit aliud iniquitatis monstrum Hobbesium, sed Hobbesio impudentius virus suum evomuit. Principia philosophiae cartesianae geometrice demonstrata edidit, similiter ethicam, uti et tractatum theologico-politicum praeter alia opuscula: sed in omnibus ad atheismum lectores inducit. Peculiare huic philosopho systema est, quod dum atheismum insinuat, existentiam entis infinite perfecti admittit; sed hoc cum universitate rerum creatarum ita confundit, ut in ea Divinitatem (pro iis qui eam velint admittere) tantum agnoscendam, neque praeter eam Ens aliquod infinite perfectum existere, mordicus, et sophistice propugnet. Ejus tamen sophismata in theologia naturali facile refutabimus.

(22) Celeberrimus Leibnitii discipulus extitit Christianus Wolfius germanus vir subtilissimus, magnoque eruditorum voluminum numero clarissimus, quibus omnes philosophiae partes, et universam mathesim complexus est. At suos quoque hic passus est manes, licet in maxima nominis celebritate tot ex capitibus habeatur.

Quoniam vero in veritatibus sive inveniendis, sive suadendis, quacumque methodo uti velis, demonstrationes instituas oportet, praestat jam dilucide exponere, quid, et quotuplex sit demonstratio.

Demonstratio itaque nihil aliud est, nisi ratiocinationum plurium mentis, sive argumentationum perpetua connexio, quarum una alteram firmat, et quarum tandem postrema legittima conclusio est ipsa propositio, quae assumitur demonstranda. Haec alia dicitur *a priori*, alia *a posteriori*; alia item *directa*, *indirecta* alia. Quando a causa effectus, vel ab axiomate aliquo, et principio abstracto veritas aliqua demonstratur, *a priori* dicitur demonstratio; *a posteriori* vero, quando ex effectu causa, aut ex certa experientia veritas aliqua deducitur. Sic demonstratio, quam Cartesius instituit de existentia Dei, illam inferens ex idea possibilitatis entis infinite perfecti, erit *demonstratio a priori*; quam autem solent communiter metaphysici deducere ex idea entis contingentis, et mundi existentia, erit *a posteriori*.

Haec eadem demonstratio sive a priori, sive a posteriori *directa* etiam dicitur, quando positive in id tendit, ut probet veritatem propositionis assumptae. Cum vero ex lege contradictoriarum propositiones contradicentes neque ambae verae, neque ambae falsae esse possint; sed una necessario vera, si altera falsa sit, ad demonstrandam propositionem aliquam possum contradictoriam pro-

ponere, ejusque falsitatem per absurdum, quod sequeretur ex ejus veritate, demonstrans, jam veritatem alterius demonstravero: id quod est veritatem illam *indirecta* demonstratione comprobare, quae etiam dicitur *ad absurdum*.

APPENDIX

De scholastica Concertatione.

Rei cujuscumque pertractatio talis esse debet, ut rectis, perspicuisque ratiociniis innitatur, argumentationes proinde perpetuo exhibeat evidentissimas. Plerumque tamen oratorio, et academico, ut ajunt, stylo cum id peragi consuescat, formae syllogismorum, aliarumque argumentationum a nobis superius expositarum latent, et verborum, rhetoricaeque figurarum involucris obvolvuntur. Non est tamen, quod talis esse non debeat sermocinatio, ut quando et si quis velit, non valeat in totidem syllogismos, et argumentationes stricte sumptas resolvi; alias quomodo concluderet? Solemne hinc semper fuit, et esse solet, ut adolescentes, qui alicui scientiae, praesertim philosophicae dant operam, in stricta argumentationum forma adhibenda exerceantur, ut inde facile eis eveniat ita loqui, ita sermocinari, et de rebus praecipue ad scientias pertinentibus pertractare, ut nunquam quid eis excidat, quod cum recta mentis ratiocinatione non comitetur:

quemadmodum tironibus in arte pictoria enixe suadetur, ut figuras primum juxta extenae saltem anatomes lineamenta pingant; quo, licet eas carne, et etiam vestibus obtectas debeant exprimere, ipsa semper natnralis figurae constructio etiam sub involucris illis dispiciatur. Ad hoc statutae sunt Concertationes scholasticae, in quibus aliqua assumta thesi, unus eam patrocinatur, alter vero tamquam adversarius eam impugnat, et postquam primus rationes sive academico more, sive strictae formae argumentatione exposuerit, quibus illam firmandam judicaverit, alter impugnaturus insurgit, semper tamen syllogistice, vel alio stricto argumentorum genere aut difficultatem aliquam contra thesim ipsam opponendo, aut demonstrationem pro thesi propugnanda adhibitam infirmando. Regulae quibus sic impugnaturus uti debeat in munere suo exercendo tum ad scholasticum Dialecticae exercitium, tum ad thesim propositam vel ex animo infirmandam, ubi de re adiaphora agatur, et vere oppositum ille senserit, vel ad ipsam illustrandam per enodationem a primo faciendam difficultatum, quae per secundum sic opponentur, patent ex iis, quae hactenus de ratiocinationis, et argumentationis *forma* prolata sunt, uti ex iis, quae de utriusque *materia* in secunda logicae parte trademus. Hic nonnulla potiora de ratione practica, qua thesim defensurus ab argumentis adversarii juxta argumentationis cujuscumque natu-

ram se expedire debeat, operae pretium arbitror ut exponam. Certe si syllogismi, quibus arguens utitur, seu qui respondent argumentationibus ab eodem adhibitis, singuli neque in materia peccent, neque in forma, nihil est, quod eidem respondeatur, uti ex dictis de firmitate ratiocinationis. In hoc ergo animadversiones intendat defendens, num aliquid defectus hujusmodi in praedictis argumentis contineatur. Porro sciat primo, quod si invenerit in adversarii propositionibus praeter consequens unam tantum propositionem falsam, satis erit, ut eam deneget nihil de ceteris curam habens: jam enim posito, quod falsa una propositio habeatur argumentum peccat in materia, et nihil inde ex superius dictis concludi potest. Animadvertat secundo, quod si veris existentibus praemissis, solum consequens falsum esse compererit, non poterit denegare consequens, sed consequentiam: uti enim monitum est alias, si verae sunt praemissae, non potest esse omnino falsum quod infertur, nisi argumentatio defecerit in forma; atqui defectus in forma importat, ut non habeatur connexio, et artificium in argumentatione requisitum; adeoque quidquid sit de asserto in consequenti, nullius virtutis cum sit argumentum deficiens in forma, deneganda est forma, seu consequentia, quae est prius in argumento, quam consequens. Fieri etiam potest, quod vel aperte, vel in abscondito plus, quam tres termini in syllogismo aliquo habeantur;

in primo casu tunc tertio loco, ceteris neglectis, satis erit denegare pariter *consequentiam*, deficiente pariter in syllogismo forma; quod si hoc non sit palam, quia nimirum tres termini apparent, sed unus, vel plures aequivoci sint, et quod de iisdem praedicatur vel denegatur in propositionibus, uno in sensu accepto termino verificatur, in alio non item: tunc quarto datae propositionis sic aequivocae distinguendus est sensus, et propositio concedenda in sensu, in quo vera deprehendatur, in altero deneganda; semper autem vel nihil de consequenti dicendo, deneganda est consequentia, quia ex hac duplicitate sensuum terminorum defectus formae habetur ex parte negata in distinctione, cum amplius tres termini non sint: vel quinto, si aequivocatio termini alicujus etiam in consequenti agnoscatur, distinguendus erit etiam sensus consequentis, cum cautione tamen, quod tum in distinctione facienda, tum in parte vera consequentis admittenda dicendum sit, *distinguo consequens*, *concedo consequens*; quia distinctio, et concessio cadit super ipsam propositionem consequentem; sed in parte falsa deneganda dicendum, *nego consequentiam*; quia ut innuimus, nunquam haberi potest consequens falsum, si habeatur recta forma, seu consequentia in syllogismo, quae prius ipso consequente examinari, uti vel admitti, vel respui debet ab eo, qui syllogistice impetitur ab adversario. Sexto si ar-

guens vel per enthymema, vel per aliud argumentandi genus propositionem aliquam reticeat, quae falsa tamen, et deneganda foret, si proferretur, tunc ei denegandum est *suppositum*; quo nomine intelligitur propositio ipsa, quae silentio premitur. Neque enim verum, quod nonnulli effutiunt, dari posse enthymema aliquod, utcumque sine connexione inferatur, cui desit propositio ad syllogismum complendum; semper enim subintelligitur saltem propositio conditionalis; falsa utique, et ridicula, proinde deneganda, sed nunquam positive deest: sic inaniter in enthymemate ex. gr. *nunc est dies*; *ergo homines moriuntur* ab inferente subauditur minor conditionalis falsissima, *sed si nunc est dies*, *homines moriuntur*. Septimo evenire potest, quod ab arguentibus interseri valeant nonnunquam propositiones, quae verae sint, vel falsae, nihil officiat thesi defendendae, nihilque prosit adversario, qui eas producit: tunc talibus propositionibus respondendum per omissionem dicendo, *omitto majorem* ex. gr., *transeat major*. Talis responsio maxime utilis est respondenti, tum quod ingenium ipsius demonstrat in discernendo, quid sibi prodesse, vel officere possit, quid non; tum quod eum exonerat a pertractanda quaestione aliena, minime ad rem propriam conducente. Verum caute nimis in omissionibus hujusmodi procedendum: si enim incaute fiant, poterit adversarius *ex omissis* argumentari, et inducere ae-

mulum ad omittendam etiam thesim, quam tuetur. Porro tam est adversario, quod hostis ad deserendum campum, et praelium cogatur, quam quod ad manus victas dandas obligetur. Octavo demum maximi quandoque ad arguentem confundendum emolumenti erit, quin directe ad ipsius argumenta respondeatur, dummodo tamen id locum habeat, *retorsio*, quae dicitur *argumenti*. Haec adhiberi potest, cum ex ipsis adversarii propositionibus, quibus utitur ad suum assumptum ostendendum, vel aequaliter inferri potest consectarium contradictorium illi, quod ipse suscepit demonstrandum, vel alia propositio, quae certo certius ab ipsomet adversario non admittitur. Talis retorsio facillime locum habet in dilemmate, et tunc defendens expeditum se invenit a quacumque difficultate enodanda, relinquens adversarium implicatum eodem laqueo, quo contendebat defendentem praefocare. Sic sane respondit quis retorquendo argumentum ei, qui volebat per dilemma demonstrare, felices eos, qui magistraturam gererent, dicendo: *aut enim hi justitiam servant*, *aut non*; *si servant*, *felices sunt amorem proborum hominum sibi conciliando*; *si non servant*, *felices sunt improbis in civitate favendo*; *ergo etc.* cui responsum. *Qui magistraturam gerunt*, *infelices semper existimandi*; *aut enim justitiam servant*, *et inimicos tot habent*, *quot scelesti homines in civitate consistunt*; *aut eam non servant*, *et o-*

dium sibi proborum hominum conciliabunt; ergo etc.

Nimis in hoc oratio produceretur, si totum id quod ad hanc Spartam pertinet, persequi, et enucleatius tum expositum, tum alia omnia vellem pertractare. Satis haec sint tironi indigitasse: in praxi enim ab eo, quo duce ad has institutiones incumbet, facilius de reliquis erudietur, cujus erit modum etiam eidem suppeditare pro scholasticis disputationibus instituendis, et ad formam scholasticae concertationis quaestiones, quae occurrent, exagitandas proponere tum pro exercenda adeo necessaria certe syllogistica forma, tum ad sibi, et aliis evidentius suadendas veritates a me in secunda Logicae parte, et in Metaphysicae institutionibus mox tradendas; cum mihi aliunde fas non sit longiori methodo in hac lucubratione uti, quam praecipue pro meis Discipulis in Archigymnasio romano exegi; qualis certe foret methodus per scholasticas concertationes theses, et quaestiones proponendi. Materiei enim vastitas, et perbreve tempus praelectionibus annuis praescriptum me cogunt, ut academicam breviorem methodum adhibeam. Unum tamen adhuc pro rei opportunitate monitum subtexam necesse est. Non solum qui aliquam scholasticam concertationem suscipiunt, sed etiam qui aliquam quaestionem, disputationem academicam, et quodcumque aliud hujusmodi generis pertractaturi sunt, prius statum quaestionis, ut ajunt, seu

id, de quo agitur, et agendum, rite intelligant, et exponant; terminos bene noscant, et definiant: alias aerem verberabunt, nec ipsi noverint, quid dicendum, vel propugnandum; confusionem ingerent audientibus, et post longissimam quaestionem intelligent forte, se nihil profecisse, sed in simplici logomachia, seu verborum, non rerum concertatione tempus inutiliter trivisse.

INSTITUTIONUM LOGICÆ

PARS SECUNDA

De Veritate, eamque inveniendi Ratione.

SECTIO I.

De Veritate in genere.

Nisi ratio inveniretur, unde veritates a falsitate disterminare valeremus, perperam ad scientias incumberemus, oleumque, et operam perdidissemus in investigandis operationibus, quibus intellectus utitur ad verum inveniendum; imo et ea, quae de ipsis operationibus hucusque dicta sunt, nutarent omnino: falsa enim forent, vel numquam detegibile, num vera sint. Praestat ergo jam ad veritatem ipsam accedere; quotuplex ea sit, ostendere; demonstrare tum in genere, tum in specie, quod ea existit non solum in se, sed etiam investigabilis sit humanae menti aliquando in genere, aliquando in specie, atque indicia exponere, quibus certi esse de ejusdem inventione valeamus. Porro in horum pertractatione universa nostrae Logicae secunda pars versabitur, et per ea reflexione a-

dhibita unusquisque intelliget, certo vera esse omnia, quae hucusque tradidimus in prima ejusdem Logicae parte. Veritatis in abstracto idea clarissima equidem cuique est, sed nisi referatur ad diversas classes, in quas ea dividitur, simplicissima cum sit, distincta haberi non potest juxta ea, quae agentes de ideis relate ad modum repraesentandi objecta, et de definitione docuimus. Ergo veritas in abstracto definiri non potest, cum definitio importet, ut duo saltem in re definita distinguantur juxta canones traditos de definitione concinnanda. Classes itaque veritatum distinguamus; et quoad singulas eam in concreto, seu in particulari definiamus.

Triplicem veritatem distinguere solent Dialectici, *metaphysicam* scflicet, *logicam*, atque *ethicam*, seu *moralem*. Tertia tamen haec proprie loquendo non est *veritas*; sed *veracitas* potius dicenda. Dicunt enim haberi ethicam veritatem, quando quis ita rem enarrant, quemadmodum de illa interius afficitur. Puto ergo ex. gr. per errorem invincibilem, talem personam esse *Antonium*, quando revera non est: interrogatus de ejus nomine, dico *Antonium vocari*; in mea responsione dicunt haberi verum ethicum, quia nimirum ita rem edico, quemadmodum suasus sum. Ut quisque intelligit; meus sermo verax est, sed non verus; ergo veritas ethica non est proprie veritas, sed veracitas. Porro hic nobis sermo est de veritate, non de

veracitate, quae toties potest cum falsitate comitari. Certe si veritas in se existit; si ea detegi tuto potest; si potest tuto secerni, quando quis verax sit, quando non; si potest insuper tuto haberi in aliquo casu, quod veracitas cum certa scientia in proferente conjungatur, poterit ex his tuto inferri verum esse, quod ab aliquo asserente enarratur; et de his utique inferius agemus, quando statutis ceteris omnibus, canones dabimus ad dignoscendum, num certo veraces fuerint ii, qui aliquid enarrant, uti et ad certo determinandum, num qui veraces esse certo debuerunt, non potuerint insuper rem ignorare; ut per haec possit tuto asseri, quod enarrata ab ipsis vera omnino haberi debeant. At in primis certo statuendum, quod veritas existit; quod ea ab humana mente obtineri possit; quando insuper, et quo certo indicio. Inde vero indicium erit applicandum circumstantiis hominis narrantis aliquid, ut inde statuatur, num, et quando tuto constare possit de veritate tum veracitatis, tum scientiae ejusdem circa rem enarratam, proindeque de rei ipsius enarratae veritate. Seposita igitur interim quacumque de veritate ethica consideratione, definiamus veritatem tum metaphysicam, tum logicam. Omne igitur ens existens, vel possibile, vel perceptibile, quatenus in se revera existit, vel est possibile, vel perceptibile, praescindendo ab eo, quod quis de eo cogitet, vel cogitare possit, *verum metaphysicum* audit. Ve-

ritas ergo metaphysica est, quod res in se vera sit, puta nimirum quod talis res existat, vel possibilis in se sit, vel perceptibilis. *Logicum* autem *verum* illud est, quando res ita se habet, quemadmodum a nobis concipitur: seu veritatem logicam illum consecutum esse dicendum, cum res a parte sui ita sit, quemadmodum ipsi videtur. His positis dico in primis, Verum logicum adesse; quidquid in contrarium Sceptici propugnaverint; seu dico, posse revera mentem humanam aliquas veritates tuto pertingere, et certam insuper esse posse aliquando, quod hoc vel illud, quod percipit per aliquam ex suis operationibus, ita revera in se sit, quemadmodum sibi esse videtur. Assertio haec certissime vera esse facillime ostenditur ex ipsis principiis scepticorum. Arcesso enim quempiam ex iis, et dico. Est ne verum, quod sit de omnibus dubitandum, an non? Si non est verum; ergo datur verum logicum; alias verum esset, quod sit dubitandum de omnibus. Si autem responderit verum esse, quod sit de omnibus dubitandum; ergo infero, datur aliquod verum logicum, nempe quod sit dubitandum de omnibus. Rursum si de omnibus dubitandum, cur?

Regerunt sceptici, quia mens humana brevissimis limitibus circumscribitur, totque erroribus obnoxia agnoscitur, quam quod maxime. Sit ita. At vera est haec ratio, an non? Si non vera; ergo praeterquamquod ridiculae, nulliusque roboris

rationi haec asserendo innituntur sceptici; en altera veritas logica; quod nimirum falsa haec ipsa ratio, quam ipsi regerunt, deprehendatur. Si autem haec ratio vera est, iterum infero; ergo datur veritas logica, quod nempe ratio illa subsistat, neque possit in dubium revocari. Insuper dato, et non concesso verum esse scepticorum dogma, quod sit de omnibus dubitandum, idque ob brevitatem humanae mentis, quod erroribus infinitis obnoxia sit; jam ergo infero: sapiunt sceptici sic propugnantes; mens humana, utcumque brevissima, existit; brevitas ejus certissima est; vere existunt errores, in quos labi solet, veraeque causae, unde erroribus sic mens humana subdi consuescit: porro haec omnia per ipsos scepticos certissima sunt, clareque, et indubitanter noscuntur ab ipsis; alias nec possent mordicus propugnare, quod sit de omnibus dubitandum, nec sic propugnando saperent; ergo istae omnes sunt totidem logicae veritates; cumque econtra hae importent, quod qui ipsis contradicunt, stulti sint, quod non agnoscunt humanae mentis brevitatem, quod non intelligunt errores, quibus eorum mens scatet, quod perperam asserant de omnibus non esse dubitandum; atque isthaec clarissime videantur a scepticis; en iterum tot aliae veritates logicae, quas, velint, nolint, fateantur oportet adversarii. Mitto, quod dum ita ratiocinantur, et dubitant, dum sic de omnibus dubitandum docent, aliisque suadere conantur, alias

logicas veritates admittant necesse est; ita quod et ipsi, et quos alloquuntur, vere cogitant; dubitare enim non est, nisi genus quoddam cogitationis: quod ipsi, et quos alloquuntur, vere vivunt, neque enim cogitare potest, qui non vivit; quod ipsi, et quos alloquuntur, vere existunt: neque enim vivit, qui non existit, ut tot alia praeteream, quae inde sequuntur. Regerent forte adhuc sceptici, quod haec ipsa omnia, quae tamquam certo vera ex ipsis principiis illorum intuli, dubia ipsi sint, et esse debeant ceteris; imo de ipsa dubitatione, et an sit de omnibus dubitandum, dubitandum esse. Esto. Sed praetermissis aliis omnibus animadversionibus, quae superius innui, et quae in hac etiam suppositione locum habere deprehenduntur; ergo, infero, tamquam *certo verum* percipitur ab ipsis, et ab omnibus percipiendum, quod haec omnia dubia sint, et esse debeant, quod dubitandum sit de ipsa dubitatione, et an sit de omnibus dubitandum. Datur ergo aliquod verum logicum; et ne amplius immorer in nugacibus istis concertationibus, uno verbo dicam: aut falsum dogma scepticorum, quibuscumque sub verborum ambagibus illud proponant, et propugnent; ergo datur verum logicum: aut verum; et eo ipso verum logicum aliquod datur, nempe admittendum esse hoc ipsum, quod ipsi asserunt: adeoque falsum semper quod ipsi asserunt, nullum verum logicum dari posse; et dum hoc asserunt, falsam suam ipsam assertionem et

ostendunt, et demonstrant, atque in putidam contradictionem delabuntur.

Adest ergo verum aliquod logicum, et potest mens humana veritates saltem aliquas certo internoscere: cumque hanc ipsam assertionem per ideas, judicia, ratiocinando, talesque operationes methodice proponendo demonstraverimus; ergo ideae, judicia, ratiocinia, et methodi, quibus mens nostra utitur, sunt quandoque saltem media certa ad veritates inveniendas. Ast semper ne; an aliquando tantum? Si aliquando, quibus in objectis, et circumstantiis? Quodnam erit criterion, character, seu tessera unde veritas, pro variis opportunitatibus a falsitate disterminari poterit? Quando mens noscendo, judicando, ratiocinando, methodos adhibendo tuto certa esse poterit, se veritatem assecutam? Haec singula erunt pedetentim examinanda; quae gravissimi certe momenti sunt.

Dico ergo secundo, non semper, nec omnibus in circumstantiis nos certos esse posse de veritate eorum, quae nobis per intellectum, seu nostro intellectui per ideas, judicia etc. repraesentantur; imo certos ut plurimum esse nos debere, falsa esse, quae primo saltem obtutu videntur vera; aliquando autem eadem dubia prorsus remanere debere. Sane si ad ideas, quae per sensus tantum repraesentantur nobis, respectus habeatur; nonne indefinitam errorum occasionem ideas dixeris sensibiles? Principio oculi quot vere extantia corpo-

ra nulla ratione ostendunt! Uti animalcula ferme indefinita in aqua, aceto, ceterisque humoribus innatantia, totque aeterogenea corpuscula per aerem volitantia, quae tamen vel microscopii ope, vel per radium solis in conclave obscurum e janua clausa illapsum apparent. Contra vero quoties ea, quae minime existunt repraesentant, ut existentia! In navi quae movetur extantibus non ipsam navem, sed littora fugientia ostendunt; lunam, planetasque minime sese moventes exhibent; turris, quae sit quadrata, rotunda a longe conspecta videtur, uti pro distantia majori, vel minori minuitur etiam vel augetur in oculis corporis cujuslibet magnitudo, ut tot alias praeteream exploratas nimis falsitates, quae oculorum ope animo repraesentantur. Auditus etiam frequens errorum nobis origo est. Quoties enim minime audimus motus prope etiam aures nostras excitatos; uti Archimedi ferunt contigisse, cui, dum insisteret geometricis demonstrationibus, caput amputatum est, quin commotionem civitatis adverteret; tumultumque suo ipso in cubiculo a militibus excitatum; audire autem nobis videmur toties eos sonitus, qui nunquam extitere.

Quod de visu, et auditu diximus, idem de odoratu, gustu, et tactu dicendum. Quid sane est, si secus foret, quod idem cibus uni gratus alteri nauseam movet? Quod idem lilium uni olens alii maleolens appareat? Quod idem coelum romanum calidum videatur homini in Rossia, vel Lapponia nato,

frigidum vero ei, qui a Parà, vel alia Zonae torridae regione venit? Quot corpora levigatissima tactui apparent, cum ope micoscropii asperitatibus, cavitatibus, promidentiis quamplurimis referta videantur? Sed numquid mens ipsa nostra seu ratio ipsa plurium errorum segetem quotidie nobis imprudentibus non suppeditat? Ipsa opinionum varietas inter homines etiam scientiarum cultores, nedum inter ineruditos, et illitteratos nonne luculentissime id demonstrat? Atque hoc in causa fuit, ut Sceptici, et Pirronistae de omnibus semper dubitandum, temere tamen, asseverarent. Temere inquam. Aut enim (ut ex hoc ipso liceat eorum falsum dogma iterum refellere) certum est quod in pluribus aliquando erroribus versamur, si omnia sine delectu vera existimemus, quae menti nostrae utcumque obversantur, aut saltem dubium est: si certum, quod haec fàlsa sint, ergo datur certa veritas: si dubium; ergo datur certa veritas nempe quod sit de eorum veritate dubitandum. Insuper si falsa, aut dubia, quae apparent vera, certo tamen verum, quod talia appareant; ergo datur certo verum. Adeo, iterum inferam, sibi ipsis Sceptici contradicunt. Sed iterum Scepticorum nugas relinquamus. Quod tamen ex tot erroribus inferendum in quos quotidie labimur, si omnia, ut certo vera credamus quae apparent, illud est; quod non semper, nec in omnibus objectis, et circumstantiis utcumque propositis, mentis nostrae

operationes certam nobis veritatem edicunt. Cum tamen aliunde, ut ex hucusque dictis patet, plurima dubia, nonulla certo vera, alia certo falsa (quae etiam inter certas veritates enumeranda; eo ipso enim quod certum sit, quod sint falsa, habetur certa veritas de eorum falsitate) mentis nostrae operationes ostendant; ergo dico tertio dari debet character quidam, seu tessera, quae veluti lydius lapis in bonitate metalli distinguenda, det nobis modum, quo inter certo verum, et dubium, et falsum secernere valeamus. Aut enim mens nostra numquam certa esse potest de veritate, aut falsitate eorum, quae sibi per suas operationes repraesentantur; ergo de omnibus dubitandum: atqui hoc absurdum, ridiculum, insanum, falsum, ut demonstravimus; aut si aliquando de tali veritate, aut falsitate certa esse potest; ergo habet mens nostra medium, unde discernat certo verum, et certo falsum; sed hoc est character, seu tessera veritatis; ergo etc. Character hic, seu tessera a Dialecticis veritatis *Criterium* dici solet a graeco verbo κρινω latine *judico*. Sed quale illud erit?

De Criterio veritatis agentes Philosophi in eo constituendo in varias abierunt opiniones. Asclepiades enim, Protagoras, Democritus sensus solos veri nuntios asseverabant; unde quidquid cuique appareret primo obtutu per sensus tantum, verum esse dicebant; ratione tamen nihil veri statui posse asseverabant. Plato econtra, Empedocles, Xeno-

phanes, Parmenides, et fere omnes Pythagoraei (23), uti testantur Laertius, Empiricus, et Cicero, in ea fuerunt sententia solam cogitationem, et mentem

(23) In Insula Samo ante Christum anno 564. natus est Pythagoras. Non ordinariis animi dotibus a pueritia ornatus apparuit. Samii adhuc juvenis audivit Hermodamantem, in Lesbo Phacrecidem Syrum, Mileti Anaximandrum, ipsumque Thaletem, qui ipsum, ut erudiretur, misit in Phaeniciam, et Aegyptum, ubi postquam per annos vigintiduos de eorum sacris, astronomia, et geometria eruditus est, Babylone musicam didicit, et aritmeticam: inde in patriam rediit, sed cum obscurissimo dicendi, explicandique genere uteretur, unum habuit discipulum; quem ut haberet, alere quoque coactus est: de hoc pertaesus novam suscepit peregrinationem. Delphos igitur, Cretam, Spartam, Phliuntem, aliaque peragravit loca novam semper inquirens eruditionem. Tandem in urbe Crotonae in sinu Tarentino sitae publico Senatus decreto, regnante Romae Tarquinio superbo, scholam aperuit, ut ait Cicero *Quaest. tusculan. l.* 1. Discipulos duplicem in classem distribuit: primi dicti sunt *Genuini*, *Aeroatici*, *Pythagoraei*, qui simul usque ad 600. excreverunt, ut ait Laertius: hi victu communi utebantur, facultatibus suis in unum collatis; noctu a Magistro, qui post velum latitabat, docebantur, silentio arctissimo per quinquennium adstricti; et nisi diu probati ad conspectum ipsius non admittebantur. Hos docebat arithmeticam, musicam, et geometriam; similiter philosophiam theoreticam, et practicam, quae plura continebat laudabilia circa divinum cultum, pietatem in parentes, et mortuos, legum observantiam, temperantiam,

veritatis criterium esse; sensus autem propter eorum tarditatem nihil veri tradere posse. At Speusippum cum Academia veteri Epicurum (24), Cy-

fortitudinem, aliasque virtutes: tantaque fama doctrinae apud eos eluxit, ut aliqui Apollinem hyperboreum, alii bonum genium a Diis missum eum existimaverint: hinc ejus dicta pro divinis habentes aliam de ipsis rationem non dabant, nisi ἀυτος ἔφα *ipse dixit*. Alia discipulorum classis dicebatur *Acusmaticorum*, seu *Pythagoristarum*. Hos docebat in amplissimo ἐμακοιῳ, seu Ecclesia, ut ait Clemens alexandrinus, ubi data cuilibet ingrediendi facultate praecepta quaedam generalia ad instar Oratoris potius, quam Scholastici communicabat. Secta haec, seu schola post ejus mortem non diu in suo esse perduravit, sed hinc inde dispersa, et a nonnullis variis in partibus Philosophis amplexata. Hino in Judaea post reditum e captivitate babylonica Esseni, seu Essaei inventi sunt, qui quamvis commune aliquid haberent cum Cynicis, in latrando scilicet contra vitia, potius ad pythagoraeam doctrinam accedebant, cumque Pythagoricis ascetica, silentioque traductae vitae ratione utebantur. Hi ad pythagoricam philosophiam ethicae, medicinae, et nativae herbarum, lapidumque vis studium adjungebant, et nonnulli eorum in urbibus, alii in sylvis delitescentes habitabant. Tempore Josephi, ut ipse *de bello judaico l. 2. cc. 2. et 7.* ad quatuor millia enumerabantur, recteque sentiebant de Deo, ejus providentia, animaeque immortalitate.

(24) Ex Cicerone tum *de Natur. Deorum l. 1. c. 6.*, tum *de finibus ll. 2. et 5.*, tum *academic. quaest. l. 2.* totam hanc perbrevem Epicuri, ejusque doctrinae historiam concinnabo. Epicurus itaque Atheniensis natus est anno 340.

renaicos (25), Stoicos, Chrysippum, Potamonem

circiter ante Christum. Usque ab anno 14. aetatis suae philosophicis studiis sese addixit, et usque ad annum 32. ad ea incumbens absque praeceptore, dicto anno docere caepit prius Mitilene, tum Lampsaci, demum Athenis in horto quodam ad id coempto. Ex Graecia, Asia, et Ægypto frequentissimos habuit discipulos, ejusque schola ad tempora usque Julii, et Augusti Caesarum perduravit: quo etiam tempore ea celebritate fuit, ut plurimi Principes ejus sectatores, et gregales ipsius imaginem in tabulis, in poculis, in annulis gestarent. Nec mirum; ejus enim doctrina nimis effraenatis cupiditatibus, et voluptati indulgebat. In tres partes doctrinam suam divisit. Prima, quam vocavit *Canonicam*, agebat de veritate, ejusque criteriis, item de sensibus, praenotione, voluptate, ac vocibus: secunda erat de physica, in qua ex concursu athomorum mundum progenitum dicens negavit Dei providentiam, animae immortalitatem, et existentiam spirituum bonorum, et malorum; imo, ut ait Cicero, oretenus Dei existentiam admisit, sed tam impia de Deo, seu Diis effutiit, ut eos prorsus sustulisse visus sit: tertia demum de ethica pertractabat, in qua principium, et finem vitae beatae in una voluptate constituit. Surculus epicureae sectae fuerunt in Palaestina Sadducaei, nomen hoc adepti vel a Sadoc sacerdote, vel ab hebraica voce consimili, quae *justitiam* significat, cujus maximos sectatores sese jactabant impiissimi hujusmodi homines. Revera hi quoque et Dei providentiam, et animae immortalitatem, et Angelos sive bonos, sive malos denegarunt.

(25) Cyrenaicorum Sectam a Cyrene Affricana, patria Aristippi, qui post auditum Socratem, vel male intelligens

Eclecticorum principem, Aristotelem demum, ut alios omittam, et cum eo Peripateticos partim in mente, partim in sensu veritatis criterium collocandum asseruisse, testis cum praelaudatis Empirico, Laertio, et Tullio est etiam Eusebius *Praeparat evang. l.* 11. *c.* 17. Hos tamen omnes, si primos excipias, quorum sententiam cordatus nemo potest admittere; illud unum arbitror contendisse; vel solam mentem, vel tum mentem, tum sensum fontes esse, unde veritates hauriri valeant: at non in iis criterium veritatis collocasse, seu iudicium, quo veritas secerni possit, nisi dicamus, quod absonum omnino, neque de tantis viris suspicari quis poterit, eos arbitratos fuisse, quod quidquid vel menti, vel sensui obversatur, tamquam certo verum semper admittendum sit. Quare licet mentem, vel sensum veritatis criterium appellaverint, forte per hoc unum illud videntur contendisse contra scepticos, aliosque primo loco memoratos philosophos veritatem logicam existere; eamque posse per

---

ejus doctrinam, vel ad impietatem omni ex parte contorquens ibi scholam aperuit, nomen suum hausisse constat. Dict. sunt etiam *Hedonici* ab ἡδονη, quia sublato omni discrimine bonum inter, et malum, in sola voluptate, et luxuria omnem felicitatem collocarunt: in quo quam a Socratis dogmatibus deflexerint nemo est, qui nesciat, cum hic potissimum philosophiam suam in eo voluerit occupatam, ut ad virtutes homines impelleret, a vitiis autem maximopere retraheret.

mentem, vel per mentem et sensus secerni aliquando. Leibnitius, Wolfius, ceterique Leibnitiani, quibus in hac facti specie adhaerent etiam nonnulli praesentis temporis Dialectici, veritatis criterium in eo axiomate *non potest idem simul esse, et non esse* collocandum arbitrantur.

Quod spectat ad Leibnitianorum in hac re opinionem, dicam inferius post statutum veritatis criterion, ceterorum mox enumeratas philosophorum opiniones in veritatis criterio statuendo, cum vel illud non statuant, vel aperte falsum, et insanum quid asserant, inutile arbitratus, ut ad trutinam revocem. Dico itaque veritatis criterium collocari debere in evidentia, seu cum Cartesio, *meditat.* 4, *et* 5, *in perspicua rei notione, seu tali evidentia rei, qua quis ita certus sit, objectum tale esse, quale sibi menti vel per ideas, vel per judicia etc. repraesentatur, uti certus est, tale sibi hic, et nunc repraesentari.* Talem sane evidentiam infallibilem in primis certitudinem portendere quis non videt? Si enim quis objecto sibi repraesentato ita certus sit, quod res ita se habeat in se, quemadmodum sibi esse videtur; aut opus est, quod rem tamquam certo veram admittat, aut opus est, ut dubitet etiam, num sibi talis videatur; atqui de hoc secundo neque scepticus de facto dubitat, licet voce dicat se dubitare. Dum enim, puta, scepticus videt solem, dubitat quidem, an sol existat, an sit effectus purae imaginationis, quod sibi videatur

adesse sol; sed quod sibi sic videatur, quod habeat solis ideam non dubitat; alias non inquireret, num revera adsit sol, an non; non dubitaret, an certo vera sit existentia solis, an non: non potest enim dubium promoveri, an aliquid revera sit, uti sibi videtur, quando certe neque sibi ita esse videatur. Evidentia ergo hujusmodi, quam veritatis criterium esse propugno, ita ad assentiendum, ubicumque adsit, intellectum cogit, quemadmodum sanus oculus in lucidum corpus intentus, velit, nolit, hominem cogit ad illud videndum. Porro secundo loco *hoc unicum* dico admitti posse tamquam veritatis criterium. Illud enim est criterium veritatis, quo posito mens quiescit, nec amplius interrogare ei liceat; sed unde hoc, quod tamquam veritatis criterium proponitur, certo verum edicere infallibile esse comperiam? Quoties enim sic interrogare liceat, jam certa veritas non habetur, sed adhuc quis veritatis criterio eget. Quodcumque porro aliud proponatur tamquam veritatis criterium praeter dictam evidentiam tale est, ut patet, ut adhuc interrogationi praedictae locum relinquat, donec habeatur dicta evidentia; ergo non ipsum, sed praedicta evidentia erit criterium veritatis. Poterit ipsum, si clarissima evidentia hujusmodi fulciatur, esse medium, quo evidentia habeatur mediate in iis, in quibus ea se immediate non prodit; quando aliunde talia comperiantur, ut si ea denegentur, vel in dubium revocentur,

denegandum quoque, vel in dubium revocandum illud, in quo evidentia clarissima habeatur; sed quod vim dabit medio ipsi, ut demonstret certo vera esse hujusmodi, in quibus immediate evidentia ipsa non pateat; sed quibus aut assentiri cogamur, aut renuntiare ipsi medio supposito, in quo evidentia pateat, erit *evidentia* ipsa, quae habetur in dato medio. Porro hoc est, in quo hallucinantur Leibnitiani, dum contendunt, propositionem, seu principium contradictionis, quo asseritur, non posse idem simul esse, et non esse, dicendum esse veritatis criterium. Non diffiteor, illud omne, quod ita certo verum ostenditur, ut aut tale admittendum, aut dicendum sit, posse falsificari hujusmodi principium, esse omnino certissimum. At non ex hoc tale principium veritatis criterium dici potest, sed evidentia a nobis exposita. Dato enim objecto, cui vel assentiendum ut vero, vel principio eidem renunciandum, adhuc alicui interrogare licebit; sed unde constat veritas hujus principii? Cui cum reponendum sit, ex eo quod tale principium evidens sit ita, ut unus insipiens scepticus possit illud in dubium revocare, patet, non principium contradictionis veritatis esse criterium, cum et ipsum evidentia egeat, ut fulciatur; sed evidentiam, quae tale principium firmat, uti quidquid aliud veri possit excogitari. Principium contradictionis utique (iterum dicam) est medium ad dignoscendam veritatem, et laten-

tem evidentiam tot aliarum, et fere omnium, si velint Leibnitiani, veritatum: at evidentia, quae a nobis pro veritatis criterio propugnatur, est, quae immediate probat veritatem principii contradictionis, et mediate aliarum omnium veritatum, quae inferuntur ex ipso, cum evidentia sit illud unicum, ubi mens sistit ad veritatem sibi suadendam, comprehensa veritate ipsius principii contradictionis.

Aliud etiam animadvertere praestat ad nostram evidentiam tamquam veritatis unicum criterium admittendam. Qui enim veritatis criterium inquirit, nullam aliam admittit veritatem, nisi quod si daretur aliquod iudicium ad veritatis certitudinem detegendam, ea admitti omnino deberet; et quod sibi videatur videre, tangere, cogitare, existere; ignorans tamen, seu saltem non reflectens, unde de his suadeatur. Jam vero quaenam ratio erit, quod medium adhiberi cum tali homine debebit, ut suadeatur de criterio veritatis, quale illud sit, et cui certo fidere debeat? Statui certe cum hoc homine aliud non poterit, quo suadeatur, nisi illud ipsum, quo suasus est, quod si daretur indicium ad veritatis certitudinem agnoscendam, ea non posset non admitti; quo suasus est, quod sibi videatur videre, tangere, cogitare, argumentari etc. Ast bone Deus! quodnam est illud, quo de his suadetur, et velit nolit, ad admittenda cogitur tamquam certo vera, nisi unice evidentia, de qua

hactenus loquuti sumus, et loquimur? Evidentia ergo a nobis pro certitudine veritatis statuta potest esse unicum certum criterium veritatum quarumcumque pro tali homine; atqui talis homo, ut vidimus, est quisquis veritatis, seu certitudinis ejusdem criterium inquirit; ergo unicum veritatis criterium est evidentia in sensu a nobis exposito.

Est tamen sedulo animadvertendum, nos non contendere uti ex hucusque dictis etiam evidentissime patet, ea tantum admittenda, ut certo vera, in quibus evidentia per se immediate patet, et quae ab eadem evidentia immediate demonstrentur; sed illa quoque, in quibus evidenter tamen constet, mediate evidentiam ipsam contineri. Detur ex. gr. figura aliqua triangularis; syllogismum efformo dicens, *quaelibet figura triangularis constat ex tribus angulis aequivalentibus duobus rectis*; *atqui talis figura est triangulum*; *ergo constat ex tribus angulis*, *qui aequivalent duobus rectis*: certe in hac propositione *talis figura constat tribus angulis*, *qui duobus rectis aequivalent*, non patet evidentia per se, patet autem mediate; adeoque certo verissima. Semel enim posito, quod quaelibet figura triangularis constat tribus angulis, qui duobus aequivalent rectis, id quod ad evidentiam usque Mathematici demonstrant: similiter posito quod evidenter constet, talem figuram esse triangularem, dico, quod in eadem propositione, quae

infertur pro consequenti, habetur evidentia mediata. Comparata enim natura syllogismi cum eo, quem mox efformavimus ad praedictam propositionem inferendam, evidenter constat, eumdem rite esse institutum; similiter ex natura in altera Logicae parte a nobis exposita syllogismi recte instituti, et ratiocinationis evidenter constat, adeo verum esse quidquid ex ratiocinatione bene instituta concluditur, quam certo verum, quod si duo conveniant cum tertio, ambo debeant inter se convenire, vel si ex duobus unum conveniat cum tertio, cum quo alterum non convenit, neque possunt convenire inter se; quam certo verum idem non posse simul esse, et non esse, in quo principio habetur evidentia immediata; ergo in propositione supra dicta *talis figura ex tribus angulis constat, qui aequivalent duobus rectis*, licet non habeatur evidentia immediata, mediata tamen habetur luculentissime. Porro quot, et quibus rationibus facilius etiam quandoque, et brevius juxta objectorum diversitatem haec mediata evidentia detegi valeat, inferius prosequemur juxta diversas operationes, et fontes, unde cognitiones habemus. Ex quibus etiam applicatione facta patebit tum certitudo veritatum, quas hucusque in hac nostra Logica tradidimus, et quae inferius tradentur; tum etiam certitudo aliarum quarumcumque thesium, quae in singulis scientiis demonstrantur, applicando iis re-

gulas, quas in sequenti sectione variis in capitibus aperiemus.

Verum adhuc in antecessum duo a nobis animadvertenda, et demonstranda, quae maximi momenti sunt. *Primum*, quod relate ad homines non solum admittenda est contra scepticos veritas logica, sed etiam *metaphysica*. Metaphysica enim veritas, ut initio hujus tractationis docuimus, est, quod res aliqua a parte sui existat, vel possibilis revera sit, vel perceptibilis, praescindendo ab eo, quod quis de ea cogitet, vel cogitare possit. Porro primum si datur logica veritas, seu si evidens est, quod toties humana mens potest eo devenire, ut tuto suadeatur de certo vera existentia, vel possibilitate, vel perceptibilitate rei alicujus; ergo tunc re considerata a parte sui, quatenus vel existit, vel possibilis est, vel est perceptibilis tantum, praescindendo ab eo, quod de ea cogitetur, vel cogitari possit, certo existit, vel est possibilis, vel perceptibilis. Quoties ergo certo constat de veritate aliqua logica etiam de eadem veritate, tamquam metaphysica tantum et a parte sui constare debet. Sed insuper secundo, cum evidentissimo facto constet, quod uni, puta, homini, sive quia ejus intellectiva facultas ad subliniora quaedam intelligenda assurgere non valeat, sive quia de data re intelligenda occasio vel voluntas ei data non sit, sive quia medium ad datam pariter rem intelligendam non fuerit ei obla-

tum, neque offerri valeat, non constat quandoque veritas alicujus rei; bene vero alteri; ergo evidenter constat, admittendum in genere a quolibet homine tamquam verum logicum, quod adsint plures veritates metaphysicae, quae vel nunquam logicae sibi evadent, vel saltem actu non sunt, vel nunquam etiam poterunt evadere. Hinc jus nullum est homini denegandi aliquod, vel in dubium revocandi *ex hoc uno*, quod illud sibi, vel actu verum logicum non foret, nec aliunde, quam ex praesenti occasione esse valeret; nisi in casu, in quo evidenter, et positive sibi certo constaret alia opposita veritas de falsitate ejusdem rei. Petrus ex. gr. scit, num, et quot habeat nummos in crumena; quod, puta, Paulus non noverit; ergo ne quia id a Paulo ignoratur, nummi illi, vel non existent, vel non erunt tot? Aut si Petrus narret Paulo, tot in sua crumena nummos continere, fas erit Paulo fidem Petro denegare ex hac una ratione, quia sibi nec existentia, nec numerus talium nummorum aliunde innotescat? Haec est pro Paulo, donec a Petro id reveletur, veritas metaphysica, quae pro Petro est, et erat etiam logica. Quidquid ego mente gero, nec aliis manifesto, pro me veritas logica est, pro ceteris erit tantum metaphysica. Possem ego, si vellem, scire, et quidem usque ad evidentiam suaderi, proindeque logicam mihi veritatem facere, quot, puta, homines dato spectaculo, vel caetui interfue-

rint : nec volupe id mihi fuit, neque occasio oblata talem numerum cognoscendi ; ergo ne iste numerus hominum, qui eo confluxerunt, falsus in se erit ? An potius non erit pro eo, qui scit, veritas tum logica, tum metaphysica ; pro me autem metaphysica tantum? Licet anima cujusque hominis sit spiritualis, uti ex Metaphysica constabit, adeo que incapax augmenti, vel decrementi materialis ; nihilominus, undecumque interim hoc sit repetendum, facto constat, nonnullos adeo hebetes, crassaeque minervae reperiri, ut impossibile sit, quod de nonnullis nimis abstrusis rebus edoceantur. Abstrusa haec pro iis veritates metaphysicae erunt, pro aliis, qui de iis imbuti sunt, erunt logicae simul, et metaphysicae. Debet ergo quisque ex evidentia in genere admittere tamquam verum logicum, dari nonnullas metaphysicas veritates, quae vel actu sibi logicae non sunt, vel erunt nunquam, vel etiam fieri nunquam poterunt ; et quas nullum jus habet, ut deneget in genere, (vel etiam in specie si qua occasione sibi notae fiant), ex hoc tantum, quia sibi non sint veritates logicae, nec unquam erunt, (nec sibi futurae fuissent, si data occasio data non esset). Similiter certo constat (id quod hic tamquam lemma praemittendum, in Theologia autem naturali usque ad evidentiam demonstrabitur) existere Deum infinite perfectum, cui insuper ob infinitam, quam habet naturam, et perfectionem cognita sunt omnia objecta sive praeteri-

ta, sive praesentia, sive futura, sive possibilia, sive futuribilia etc. cujuscumque loci temporis et circumstantiarum, praeter notionem perfectissimam, qua gaudet sui ipsius naturae cum omnibus ejusdem relationibus sive necessariis, sive liberis ad alia entia extra ipsum: omnia autem haec, et si quae sunt cognoscibilia noscere unico actu comprehensivo. Porro finitus intellectus, qualem certe evidentissime constat esse intellectum humanum, nec comprehensive quid nosse potest, ut de ideis agentes Cap. 3. ostendimus, nec certe idea, simpliciter etiam obscura, objecta quaevis licet naturalia, et existentia, ne quid dicam de ceteris, nosse potest; a fortiori omnia, quae intrinsecam infinitam naturam Divinam constituunt. Haec ergo omnia humano intellectui de se impervia, bene vero intellectui Divino notissima, a parte rei sunt, et pro hominibus veritates sunt metaphysicae tantum, non logicae; seu pro humano intellectu in his logica tantùm erit veritas, quod dantur istae omnes veritates metaphysicae. Jam vero cum ex his metaphysicis veritatibus nonnullas, si velit, possit Deus hominibus manifestare; constat ergo et possibilem esse Divinam revelationem, et si de ejus existentia constabit, tunc revelata evadere logicas veritates etiam determinate, et quidem certitudine infallibili, cum certo insuper constet, et demonstrabitur evidenter in Metaphysica, quod Deus falli, et fallere non possit. At insuper impossi-

bile est, ut finitum qualis mens nostra deprehenditur evidenter, capiat infinitum; nunquam ergo homo capax erit infinitarum cognitionum, quas habet Deus, et ut cognoscat ea omnia, quae Dei naturam constituunt, ut monuimus. Impossibile ergo, ut Deus omnia homini communicet, quae constituunt ejus et scientiam, et essentiam. Constat ergo insuper evidenter dari debere plures metaphysicas veritates, quae in globo, ut ita dicam, et in genere sunt veritates logicae relate ad nos, nunquam autem erunt, vel fieri poterunt determinate tales, sed remanere debent pro hominibus (uti et Creaturis omnibus) in puro statu veritatum metaphysicarum.

Secundum quod animadvertendum erat, et demonstrandum; est, quod quidquid evidentur verum demonstratur vel quoad existentiam tantum, vel quoad aliquam sui proprietatem, et circumstantiam licet nec undequaque constet quoad cetera, licet ejus natura, modus, ceteraeque lateant circumstantiae, et causa omnino; quoad existentiam tantum, vel quoad eam partem, ex qua evidenter patet, debeat admitti, neque ei ulla possit ratione aliquis refragari. Quis revera sanae mentis in dubium revocabit, puta, lucis, gravitatisque existentiam, licet utriusque natura, et causae, totque aliae circumstantiae earumdem vel ignorentur, vel quomodo explicari debeant an juxta Aristotelis, an

juxta Cartesii, an demum juxta Newtoni (26) placita, forte adhuc apud physicos lis pendeat indecisa? Quis magneticam attractionem jure poterit denegare, aut de ipsius existentia movere litem, adhuc non inventa ejusdem causa, et ratione? Quis se cogitare, velle, se existere, et vivere, aliaque istiusmodi infinita, nisi desipiat, vel inficiabitur, vel inter dubiae existentiae objecta adnumerare poterit,

(26) Dum Cartesiana dogmata vulgabantur, natus est in Anglia anno 1642. Newtonus, qui ad philosophiam incumbens studiosissime, infensus Cartesii hostis evasit, praesertim in rebus physicis. Cartesius enim in effectibus naturalibus inveniendis nonnisi causis ad eos statuendos deveniendum docebat, unde tot chimerica prorsus imaginatus est, quae nulla alia ratione, nisi ejus imaginatione nituntur. Contra Newtonus causas ab effectibus explorandas docuit, neque effectus certos in dubium revocandos, licet causa ignoraretur, uti et non admittendas causas, nisi quas ratio, experientiaque certa suaderent. Haec philosophandi methodus maximos, clarissimosque philosophos habuit sectatores, et sequioribus etiam temporibus, ubi philosophiae decus maximopere inclaruit, fere ab omnibus celebrioribus physicis amplexata est; hinc sGravesandius, Musschembroekius, Clarkius, Keilius, Mac-Laurinus, Jurinus, Desagulierius, Krafftius, Le-Seur, Jacquierius, ipse Boschovichius omnes Newtoniani sunt: licet hic postremus ob nova quaedam physica systemata praesertim circa attractionem, corporumque elementa, quaeque summa cura prosecuti sunt varii ex recentioribus physicis, veluti parens sectae alicujus laudari mereatur.

licet quid sit cogitare, velle, existere et vivere nemo hactenus definire, proindeque in suo intrinseco esse clare aquoscere potuerit unquam, vel in aevum poterit? Si ex incognitis valeret argumentatio ad ea deneganda, vel revocanda in dubium, quae clare, et evidenter agnoscuntur, vel agnosci valent, non solum sceptici, sed ipsis deteriores scepticis esse deberemus. Quid enim sit ipsum dubitare nostrum inspecta natura intima operationis, quae in dubitando elicitur, quis adhuc umquam philosophorum valuit explicare? Atqui scepticismum profiteri, nedum illius limites in fanatismo praetergredi, est insanire, idque certissimum ob evidentiam; ergo stante evidentia existentiae rei alicujus, vel cujusdam ex circumstantiis illius, insanire est dubitare de eadem existentia, aut data circumstantia sic nota, vel eas inficiari velle ex eo, quod rei aut natura, vel causa, vel aliae ejusdem circumstantiae delitescant. Imo data evidentia eadem; dummodo talis revera sit; non ideo id, quod certo constet per talem evidentiam, ulla poterit ratione vel denegari, vel in dubium revocari, etiam si apparere videatur aliqua contradictio, vel impossibilitas in eo admittendo. Cum enim evidens sit, quod veritas veritati opponi non possit; alias simul idem esset, et non esset; supposita ex una parte evidentia rei; quae in oppositum videtur adesse contradictio, vel impossibilitas *apparens* sit oportet. Si ergo contradictio ujusmodi, vel impossibilitas apparens est, sive e-

videns non est; ergo dubia; ergo ignota; ergo iterum ab ignotis contra notissima argumentareris: quin imo tuto, et certissime in hoc casu concludendum foret, modum rei explicandae existere omnino debere, et nullam revera esse talem, quae apparet, contradictionem, vel impossibilitatem. Sane si amici vulneribus sauciati, et demortui, imo jam foetidi cadaver in aliquo invenires cubiculo, denegare ne ejus poteris mortem, aut in dubium revocare, quia nescis, et ne suspicari quidem posses, a quo fuerit interfectus, imo conjecturas validissimas haberes, unde inferre posses, nec a seipso, nec ab alio quoquam ipsum sic interfici potuisse?

Ex hac secunda evidentissima animadversione, aliaque proxime antecedenti, priusquam ulterius progrediamur, aliud etiam liceat inferre.

Possibilis ergo non solum est revelatio, eique fides praestanda, quoties evidenter de una ejus existentia constet; sed insuper potest ea continere mysteria, seu veritates, quae solo inspecto rationis lumine non possunt intelligi, quomodo sint; et de quarum existentia per idem principium rationis ne divinare quidem liceret quandoque, praesertim cum ibi praecipue agatur de cognitionibus pertinentibus ad res Divinas, et de relationibus inter Deum, et creaturas, cumque etiam in naturalibus tot mysteria habeantur. Iisque pariter, si de earum revelatione, adoque existentia constat, indubitanter assentiendum. Corruit ergo Achilles,

et fundamentum impudentissimi dogmatis Deistarum, Naturalistarum, et Socinianorum (27), uti et pyrronici Baylii, totque aliorum, qui etiam Spiritus fortes, Libertini, Exleges vocari solent, quique licet sub diversis formis etiam nunc temporis antiquiorum hujusmodi scelestorum (bene ut plurimum dixeris Atheorum; idem est enim vel Deum denegare, vel de ipso ea credere, et enunciare, quae ridicula, falsa, ejusque natura indigna prorsus cognoscuntur) hominum confusa, indigestaque regerunt argumenta. Unum, aut alterum ex his hominibus audiamus, et pro opportunitate confutemus. Tota summa doctrinae eorum in hoc continetur. Mysteria exhibent quid abditum, et impenetrabile, humanaeque mentis captui omnino impervium:

(27) *Deistae* vocantur, qui Dei existentiam adstruunt, talem tamen Deum admittunt, qui nullam curam habeat de hominibus, qui nulla eos providentia gubernet; cui proinde homines nullum teneantur exhibere cultum, aut metuere, quod eorum sceleribus offendatur. *Naturalistae*, qui religionem insuper admittunt, sed revelatam respuunt: nihil insuper credendum contendunt, nisi quod naturalis rationis lumine valeat cognosci; uti nullum alium cultum Deo exhibendum, nisi quod naturali lumine doceatur. *Sociniani* demum auctore Socino in ea versati sunt, et versantur opinione, nihil ut verum admittendum, nisi quod humanae rationis captui accommodetur; cum ergo mysteria catholicae religionis humanum superent captum, nec valeant ratione humana ostendi, esse a veritatum albo expungenda.

carent ergo evidentia, quae sola ad assensum potest cogere humanam mentem; ergo repudianda. Dicenda ne erit vera Religio, quae cogit mentem ut videat, quod non videt, credat id, quod impossibile, ut intelligat, quod imo nec suspicaretur unquam, nec divinare posset? Religio pro hominibus proportionem habeat oportet cum facultatibus homini naturalibus, nec potest exigere ab homine quod ultra ejus facultates est, adeoque aut nulla adest Religio revelata, aut non ea est, quae mysteria continet, cogitque homines, ut credantur. Ita pro omnibus arguunt praesertim scelestissimus auctor *des lettres sur la Religion essentielle all' homme Amsterd.* 1738., et praecipue *lett.* 2. 13. 15., et auctor impii sermonis *della Religione delle Dame*, contendens Religionem cum mysteriis minime mulieribus aptam, adeoque non veram, quae talia credenda portendit. Subdit Baylius *Reponse aux quest. d'un Provin. chap.* 159., quod eo ipso quod mysteria sunt supra rationem, sunt etiam contra rationem. Sane eo ipso, quod supra rationem sunt (prosequitur *in* 11. *Eclaircis. p.* 2990), non potest theologus argumentis, quae contra ipsa impetuntur ab adversariis, respondere, nisi se abdendo sub tormento bellico, *sous le Canon de la lumiere surnaturelle* luminis supernaturalis; atqui si non potest solvere argumenta, eo ipso de falsitate revictus; ergo etc. At quam ridicula haec, et similia sint, facile conficitur ex praedictis, decla-

ratisque terminis impiarum assertionum, quas mox ab adversariorum veluti ore prolatas audivimus. Neque locus hic, neque tempus, neque mens est mihi demonstrandi et existentiam, et necessitatem tum Religionis utcumque, tum ejus, quae sit revelata, et quod ea contineatur solummodo in catholica Religione, adeoque in ea, quae mysteria exhibet credenda. De hoc Apologistarum Religionis catholicae est pertractare: quam provinciam tot clarissimi viri feliciter peragrarunt. Dico tamen (quod mei muneris hic est tantum), et constanter dico; ex praedictis facile colligi primo possibilitatem revelationis; secundo quod ea supposita, ipsi fides certissima praestanda sit; tertio quod mysteria utique potest ea continere, et credenda proponere in sensu jam exposito, iisque, supposita pariter eorum demonstrata revelatione, fides similiter praestanda, et nonnisi per summam impudentiam, et temeritatem denegari ab aliquo posse, et in dubium revocari vel mysteria, vel religionem, quae ea contineat, et credenda proponat, ex hoc capite, quod mysteria, seu veritates humano captui imperceptibiles et contineat pariter, et proponat; quarto demum nonnisi ex idearum confusione, et per ridiculam contradictionem his assertionibus sese opponere Deistas, Naturalistas, Socinianos, aliosque nostrorum temporum Libertinos per argumenta supra relata; quod postremum ceteris jam superius demonstratis, sic facile, et brevissime conficio. In-

quiunt ergo primo loco adversarii nostri *mysteria esse quid abditum*, *impenetrabile humanae menti*, *omnino imperviam*; *adeoque carere evidentia*, *quae unicum est veritatis criterium*. Meminerint, quaeso, hic tum adversarii, tum lectores mei in toto decursu harum responsionum, quod mox dicebam, meum munus in praesentiarum aliud non esse, nisi ostendere, quod possibilia mysteria sint; quod non per hoc repudiari debet Religio, quae talia credenda exigit, quasi ab homine exigeret quid impossibile, vel nullo fundamento fulcitum ut credatur, quia mysteria sunt. Ad praedictam ergo propositionem respondeo cum distinctione. *Mysteria sunt quid abditum etc.*: *adeoque carent evidentia etc.* relate ad modum, quo sunt, ad intrinsecam naturam, ad plures circumstantias etc., *concedo*; relate ad existentiam rei *subdistinguo*; ut plurimum talia sunt, antequam reveleutur, *concedo*; post revelationem *nego*. Quis sane tres esse in Divinis personas suspicatus fuisset unquam, quis posse hypostatice in unitate Personae uniri Divinum Verbum cum humanitate, et similia, nisi is, qui unice sciebat, et scire poterat, nempe Deus, revelasset? Sed per hoc tantum, quod egeant haec, ut revelentur; alias cognoscerentur nunquam, non fit, ut post eorum revelationem, et hac positive, et evidenter demonstrata, possint vel denegari, vel in dubium revocari. Nisi amicus mihi revelet, quot in scrinio, puta, habet nummos, quid mente ge-

rat, forte medium nunquam habere potero ad id noscendum: sed quid hoc officit, quod, si ille revelet, ei assentiar, fidemque habeam tantam, quanta sit evidentia veracitatis illius in revelando? Ergo a pari, si constet evidenter (quod hic omittendum est mihi, ut innui, et demonstratum, vel demonstrandum suppono), quod Deus haec mysteria revelaverit, nullum jus habeo ei debitam fidem, utpote falli, et fallere nescio non habendi ex hoc uno, quod nisi ipse revelasset, numquam scire potuissem. Adeo autem dementiam sapit dubitare velle de aliquo, vel illud denegare, constito evidenter de ejus existentia (quod hic constare supponimus de mysteriis, quorum supponimus demonstratam, vel demonstrandam alibi revelationem Dei; Dei, inquam, cujus pariter ad evidentiam usque demonstrata hic supponitur infallibilitas), quia non noscitur, quomodo sit, quae ejus natura, causae, circumstantiae etc., quam est insanum, ut evidenter demonstratum est supra, esse scepticum, imo et scepticismi limites ad fanatismum majorem etiam extendere.

Dicenda ne, subdebant Deistae etc., *erit vera Religio, quae cogit mentem, ut videat, quod non videt; credat id, quod impossibile, ut intelligat, quod imo nec suspicaretur umquam, nec divinare posset?* Respondeo. Nunquam catholica Religio mysteria fidei credenda proponens cogit mentem, ut videat, et credat id, quod non

videt, id quod impossibile ut intelligat, id, quod homo ne divinare quidem posset. Posita enim revelatione, quam ut iterum dicam, supponimus evidenter demonstratam; mysteriorum existentia evidentissime patet; latet tantum rei modus, natura intrinseca, et similia. Rei tamen existentia, ut inquiebam, videtur evidenter, credi et intelligi ab omnibus potest, nec ad eam videndam, vel credendam suspicionibus, et divinatione opus est amplius. Porro existentiam rei tantum Religio in mysteriis credendam proponit, non rei modum, essentiam intrinsecam, et similia. Dicat quis amico, se in crumena gerere quid pretiosissimum, quin tamen explicet, quid illud sit, ad quem pertineat; gemma sit, an quid aliud hujus generis etc.: supposito, quod qui sic amico edixerit, nec falli, nec fallere potuisset, posset ne amicus aut denegare, aut revocare in dubium quod asserit, ea tantum de causa, quia illud non videt, quia non intelligit quid sit, quia forte nec suspicari, nec divinare alias potuisset? Si saperet, certo non posset; ergo a pari etc.

Religio (adhuc instant) *pro hominibus proportionem habeat oportet cum facultatibus homini naturalibus, nec potest exigere ab homine, quod ultra ejus facultates est.* Responsio facillima est. Propositio enim hujusmodi adversariorum sic abstracte, et generice proposita verissima est: non inde tamen sequitur quod inferunt adversarii:

in enthymemate enim ipsorum falsa minor, quae subauditur, seu suppositum, ut Dialectici ajunt: quid autem valeat enthymema cum falso supposito visum est jam evidenter in altera Logicae parte. Minor enim subaudita haec foret. *Atqui Religio proponens homini credenda mysteria non habet proportionem cum facultatibus homini naturalibus, et exigit ab homine quod ultra ejus facultates est*. Si exigeret mysteriorum fidem sine evidenti eorum revelatione; aut praeter existentiam evidenter propositam ulterius de eorumdem intrinseca natura, modo, circumstantiis etc. fidem exigeret, verum esset, quod supponunt adversarii: at jam vidimus Religionem nil aliud ab hominibus exigere, nisi fidem existentiae mysteriorum vel in genere, vel in specie; prout in genere, vel in specie revelata sunt; evidenter insuper per revelationem proposita hac ipsa existentia mysteriorum, uti et ipsius revelationis. Imo adeo falsum est, Religionem exigere, quod in mysteriorum fide credatur modus, essentia rei, et alia, in quibus, et per quae habetur mysterium, quin potius oppositum omnino edicit. Contendit enim esse *mysteria*, seu inscrutabilia; vult ut captivetur in hac parte intellectus in obsequium fidei; semperque principii hujus veneratrix Ecclesia catholica insurrexit in eos, qui temerario conatu vel investigare, vel explicare voluerint id, quod in talibus veritatibus mysterium proprie constituit. Quod si

adversarii illud forte contenderent, non esse homini proportionatum, et ultra ejus vires quid requiri, quando requiritur, ut credat etiam existentiam tantum rei alicujus, quae sit clare, evidenterque proposita, quando non constet rei modus, essentia etc., rogo eos, ut praeter jam dicta superius oculos insuper mentis suae convertant tantisper ad objecta quaevis etiam naturalia, et unum tantum inveniant, si fieri potest, quod ita intrinsece, et extrinsece quoad essentiam suam, modum, et circumstantias quascumque homini evidenter constare valeat, ut ipsi cuperent, et cujus tamen existentiam nemo sanae mentis est, qui non admittat. Corporum, quae inter cetera notiora sunt, novit ne quis etiam adhuc philosophorum veram, et genuinam essentiam intrinsecam? Nonne in omnibus, quae magis tractabiliora sunt, mysteria naturalia continuo non inveniuntur? Aut ergo, quod sic regererent adversarii relate ad mysteria, pro ipsis admittendis nullam difficultatem importat, aut in putidum scepticismum ipsi labantur, necesse est, negando existentiam, uti et possibilitatem cujuscumque entis; a quo tamen tantopere abhorrent, dum naturalia utique admittenda contendunt, et mysteria supernaturalia tantum respuunt. Insipiens autem nimis est animadversio Auctoris sermonis *della Religione delle Dame*, et miror, quomodo sine risu, et execratione a nonnullis praesertim nobilibus mulieribus excepta sit,

dum eas dicit ineptas ad Religionem, quae mysteriis referta sit. Cum enim in mysteriorum fide proponenda, non quid sit in se intrinsece mysterium, proponatur credendum, sed simpliciter eorum existentia vel in genere, vel in specie, idque per medium patens, et evidenter, ut supponitur, probatum revelationis; si mulieres minus aptas ad fidem his habendam fateri opus sit, a fortiori minus aptae forent ad credendum, et obsequium Deo praestandum juxta religionem naturalem, imo ad intelligendas quaslibet naturales veritates, etiam quae sensibus percipiuntur, cum ex dictis superius nulla sit veritas etiam naturalis, quacum plura mysteria naturalia non comitentur. Auctor ergo hujus sermonis non amplius rationales, sed truncis, statuisque feminas reddit similes, dum eis blandiri cupit sic ratiocinando.

Inepta similiter prorsus Baylii est propositio, qua dicit mysteria utpote supra rationem, contra rationem etiam esse agnoscenda: quasi idem foret, quod aliquid tale sit, ut lumine finito mentis nostrae percipi non possit, et quod rationis lumine evidenter falsum demonstretur. Id contra rationem est, quod rationis lumine falsum ostenditur: quod vero tale est, ut ad illud rationis lumen pervenire non valet, supra rationem est. Talia porro mysteria sunt, ut vel quoad modum, naturam etc. tantum, vel etiam quoad ipsam possibilitatem, et existentiam a ratione nullo modo attingi valeant,

quin revelentur; non quae falsa rationis lumiue demonstrentur: imo eo ipso, quod lumen rationis ad ea pervenire non potest, in quo mysteria sunt; contra rationem esse nullateuus potest demonstrari: ut enim quid demonstretur rationi oppositum, tale esse debet, ut apprime ratione ipsa agnosci valeat; eadem enim rei cognitio necessaria est ad judicandum de veritate, ac ad judicandum de falsitate rei alicujus. Si ergo mysteria, eo ipso quod mysteria sunt, et in quo mysteria sunt, non possunt ratione attingi, veraque demonstrari; neque falsa adeoque rationi opposita ostendi possunt. Nimis a proposito aberrarem, et in infinitum, ut ita dicam, tractatio mea protraheretur, si in singulis mysteriis catholicae Religionis nullam demonstrari posse contradictionem, speciatim vellem ostendere. Meo muneri hic satisfeci, si in genere; quod unum mihi proposueram, tractatusque ratio importabat; demonstravero evidenter, falsam esse Baylii propositionem, qua impudenter asserit contra rationem esse quidquid supra rationem agnoscatur.

Ast interim (subdit Baylius) *non potest theologus solvere argumenta, quibus mysteria impetuntur ab adversariis, nisi abdendo se sub tutela revelationis*. Respondeo: quae *argumenta?* Contra possibilitatem revelationis, quae mysteria contineat; contra existentiam revelationis, et hujus potius, quam alterius mysterii revelationem in specie? Sed haec partim quoad id, quod ad nos

spectabat, nempe quoad primam partem, jam hic exufflata sunt absque recursu ad revelationem; partim cum nostrum assumptum non respiciant, ad nos non spectat hic enodare; cum neque revelationis existentiam, neque unius potius, quam alterius mysterii veritatem susceperimus, aut suscipere debuerimus demonstrandam; sed tantum in genere quod possibilis est revelatio; quod ea possit continere mysteria; quod supposita horum revelatione, non ideo quia mysteria sunt, respui debent, imo omnem merentur fidem, etiamsi quoad modum etc. non noscantur. Nihilominus dicimus, quod si afferantur haec aegumenta contra theologos, quorum munus est haec speciatim pertractare, ab ipsis solvuntur, et quidem non recurrendo sub tutela revelationis, nisi quatenus, qui mysterii unius, vel alterius existentiam defendit; demonstrare debet evidenter *ex ratione*; et quod existat in genere revelatio, et quod ea in talibus monumentis contineatur, et quod ibi revera existat de tali mysterio Divina revelatio. Plura autem ostendere velle, esset quid impossibile, et contradictorium ipsi quaestionis statui, cum agatur de mysteriis, quorum scilicet supponitur ignorari natura, modus, circumstantiae, imo ut plurimum ipsa etiam rei existentia per rationem ostendenda; ad quam etiam divinandam rationis lumen pervenire ut plurimum non posse supponitur. Agunt ergo id omne Theologi in hoc casu, quod agere

debent, et nonnisi insipienter Baylius eos irridet, quod ad revelationis tutelam se recipiant. Sed forte Baylius loquitur de argumentis, quibus insurgere adversarii conantur contra essentiam, naturam, modum, aliaque hujusmodi eorum, quae per mysteria proponuntur. Apage nugas! Agitur de mysteriis, an non? Si de mysteriis agitur; ex hucusque dictis, reique natura patet agi de iis, quorum modus, natura, essentia, ceteraque hujusmodi ignorantur. Aut ergo adversarii per haec argumenta inquirunt a theologis, ut doceantur de modo, natura, essentia etc. mysterii alicujus; et quaerunt quid impossibile, contra hypothesim, et quod hactenus etiam demonstratum est evidenter ex ipsa rei natura nec posse, nec debere inquiri; et quo in sua obscuritate remanente admittendum nihilominus erit mysterium, dummodo constet de existentia revelationis quoad ipsum. Optime ergo hoc in casu faciunt theologi se recipiendo *sous le canon de la lumiere surnaturelle*; id quod unice potest, et debet in hoc casu responderi, quodque, ut patet, rem omnem conficit. Aut per haec argumenta adversarii conantur demonstrare, datum mysterium quid impossibile portendere, contradictionem involvere, et similia; et dico nullam mereri responsionem; erunt enim sophismata, logomachiae, inanes verborum circulationes, non argumenta, quae proferunt. Si enim agitur de mysteriis, iterum usque ad nau-

seam dicam, agitur de re, cujus ignoratur natura, modus etc.; porro quomodo argumenta solida confici unquam possunt ad demonstrandam impossibilitatem ejus, quod omnino ignoratur, et impossibile est ut agnoscatur?

Sed age jam ad propositum redeamus, et videamus pro diversis fontibus, unde intellectus cognitiones habere potest, num, et quando in singulis dici valeat, eum evidenter rem aliquam cognovisse. Intellectus itaque juxta ea, quae dicta sunt in prima Logicae parte, vel simpliciter ideas habendo, vel judicando, vel ratiocinando cognoscit. (Nihil dico de methodo; quia licet sit mentis operatio, quae ducit ad veritatis cognitionem, per eam tamen mens non aliquid agit, quo nova objecta apprehendat, sed tantum disponit suas ideas, judicia, et ratiocinationes ordine quodam, quo facilius res complexas praesertim apprehendere, et deinde aliis etiam communicare possit). Verum operationes hujusmodi modo versantur circa objecta insensibilia, modo circa sensibilia, modo circa res cognitas per hominum testimonium, modo per revelationem Divinam, modo per quemdam sensum, quem intimum dicunt philosophi, seu conscientiam quamdam, qua interius homo afficitur, puta, de sua existentia, de aliqua animi sui affectione, statu etc. Hinc analysi facta omnium nostrarum diversi generis cognitionum unicuique patere debet, nostras cognitiones quascumque modo

haberi per rationem, modo per intimum sensum, modo per sensus externos, modo per Divinam, modo per humanam auctoritatem. Singula percurramus, diversisque capitibus, habito etiam respectu ad ea, quae hactenus, et etiam in prima Logicae parte dicta sunt, videamus, num, et quando directe, vel indirecte, mediate, vel immediate in cognitionibus habitis sive per rationem, sive per intimum sensum, sive per sensus externos, sive per auctoritatem Divinam, sive per auctoritatem humanam tuto asserere valeamus, nos *evidentes* cognitiones habuisse, adeoque veritatem certo assecutos.

SECTIO II.

DE VERITATIBUS IN SPECIE, EASQUE INVENIENDI RATIONE

CAPUT I.

Num, et quando criterium veritatis portendere dicenda sunt, quae intellectui per intimum Sensum cognoscenda proponuntur.

Nota in primis, quod ut plurimum cognitiones nostrae ex pluribus diversis fontibus simul concurrentibus hauriuntur, unaque cognitio alteram gignit: sic ex. gr. video parietem album; inde mihi abstrahendo albedinis in genere ideam efformo: secunda haec idea est prorsus intellectualis; derivatur tamen ab idea sensibili, visionis nempe parietis, habita per oculos. Dico ratiocinando, Petrum, puta, esse hominem doctum: dicendo, qui plura certo novit, diversisque in scientiis apprime versatus reperitur, doctus est; sed Petrus talis esse comperitur; ergo Petrus est doctus: ultima haec cognitio, quae habetur ex judicio, quod efformo, convenientiae ideae Petri cum doctrina, nititur, et effluit ex cognitione abstracta doctrinae, et ex cognitione vel sensibili vel per testificationem hominum

habitae etc., quod Petro insint qualitates, quae docto competunt; similiter ex cognitione, quod tale ratiocinium sit juxta regulas efformatum. Quando ergo in praesenti, et sequentibus capitibus aliquid constabiliemus de certitudine cognitionum nostrarum attento criterio veritatis, seu evidentia, quae in ipsis asseretur haberi sive immediate, sive mediate, praecise de cognitionibus illis tantum intelligi volumus, quas ex singulis fontibus respectivis habemus, non vero de aliis, quibuscum eadem data cognitio comitatur, quaeque etiam fundamentum dant eidem cognitioni; unde in casibus, in quibus sic cognitiones diversi generis simul uniantur, unaque etiam alteram firmet; erunt hae separatim examinandae juxta ea, quae in singulis capitibus trademus, ut tum singularum hujusmodi, tum ejus, quae inde resultat, judicium efformare valeamus de certitudine veritatis obtenta. Sic ex. gr. quando albedinis in genere cognitionem ex viso albo pariete mihi efformavi, cum visio parietis albi sit cognitio habita per visum, ejus certitudinem, seu quod deceptus in eo videndo non sim, desumere debeo ex iis, quae dicentur de certitudine veritatis objectorum, quae intellectui per sensus externos repraesentantur: evidentia autem in hac prima cognitione detecta, tunc per ea, quae de evidentia cognitionum, quas nobis ratio suppeditat, examen instituam, an cum evidentia haec abstracta, et secundo loco habita cognitio comitetur. Haec autem semel pro

omnibus, quae in posterum etiam in sequentibus capitibus dicemus, praemonuisse sufficiat.

Experimur in nobis notitiam quamdam, seu conscientiam, qua de praesenti animi nostri statu admonemur, puta, nos hic et nunc laetari, moestos esse, ideam saporis, vel doloris experiri, cogitare, judicare, velle, libere operari, famem, sitimque pati, ceteraque hujusmodi universa. Haec autem notitia, seu conscientia non est, nec potest esse, nisi idea quaedam reflexa, cujus objectum internum menti repraesentat in nobis sine nobis ipsa idea prior moestitiae, laetitiae etc. animum nostrum afficiens, ipse status animi nostri, quique nunc objectum quodammodo hujus secundae ideae evadit. Etenim etiam nobis nolentibus haec sentimus: neque nostrum est eadem cum volumus in nobis excitare. Reflexa idea hujusmodi sic in nobis excitata *intimus Sensus* dicitur a philosophis.

Quod pertinet ergo ad cognitiones, quas intimo sensu novimus, dico absolute asserendum, testimonium sensus intimi certissimos nos reddere de eo, quod repraesentat, seu de existentia affectionum, et status animi nostri, quales ille nobis manifestat: dixi de eo quod repraesentat, seu de existentia illarum idearum, statuum, affectionum etc., quarum existentiam intimus sensus manifestat, non de qualitate, aut origine earumdem, aut similibus quibuscumque; aliorum enim objectorum hujusmodi cognitiones non a sensu intimo, sed ab alio fon-

te derivantur, sensusque intimus hoc unum edicit, talem, puta, nos habere ideam, statum, affectionem, et nihil aliud. Ex. gr. sitis ideam habeo; quod ideam hujusmodi habeam, sensus mihi intimus testatur; at quod revera una potius, quam altera sit causa, qua sitim hujusmodi experiar, quod ea consistat potius in illa, quam alia ciborum qualitate, vel in ea potius, quam altera corporis mei organici dispositione etc.; quod revera bibendi habeam necessitatem nec ne, id non sensus intimus, sed judicium illud, seu ratiocinium mihi testatur, quod efformo tum ex hac idea sitis, quam experior, tum ex aliis ideis aliunde acquisitis. Unde istarum cognitionum veritas alia est ratione examinanda, seu iis fidere non possumus, easque ut veras habere ex eo unice, quod habemus primam illam ideam ex sensu intimo existentiae in nobis talis datae affectionis, vel status animi nostri. Porro quod per unum testimonium sensus intimi tuto certi esse valeamus de existentia affectionum, et statuum animi nostri, quales ille nobis manifestat, tam luculenter patet, ut nihil supra. Cum enim sensus intimus non sit, nisi idea aliqua, affectio, animi nostri status se nobis sine nobis manifestans; si dum per eumdem sensum edocemur de existentia talis affectus in nobis, seu ideae, seu status, idea illa affectus status non existerent, jam existerent, et non existerent; quod absurdum: non existerent, ut supponitur; existe-

rent autem, quia ipsi sunt sensum sui facientes in animo, seu seipsos manifestantes.

Neque ad infirmandum hoc sensus intimi testimonium, seu evidentem certitudinem eorum, quae refert, regeras errores illos, in quos labi videmur ex ipsius intimi sensus testificatione tum in deliriis, tum in somniis, et etiam quandoque vigilia, et integro mentis nostrae statu. Sic novum non est aliquos per amentiam, vel in somnio existimasse se vere doctos fuisse, cum ignarissimi forent; praedia, et domos habere, cum essent pauperrimi, et similia: loquendo autem de vigilantibus, integroque mentis statu potientibus, nonne hydropes ex. gr. potiones sibi deberi arbitrantur, cum nihil tale sit? Atqui errores isti omnes undenam ortum habere videntur, dicent adversarii nostrae propositionis, nisi ex intimo sensu, quo isti edocentur de doctrina, et divitiis, quas non habent; de potione sibi debita; quod falsum? Non inquam, haec regeras. Enim vero hi, ut supra notavimus, non ab intimo sensu falluntur sic judicantes; sed a ratiocinio peccante in materia, quod instituunt ex una tantum praemissa vera, de qua ab intimo sensu evidenter edocentur, altera vero falsa, quam sibi comminiscuntur. Intimus enim sensus non docet amentem in ipso inesse doctrinam, sed tantum ipsum habere ideam, quod sit doctus: hanc autem ideam certissimum est quod habet; si enim non haberet, non amplius esset amens; ideo enim est

amens, quia putat se esse doctum, cum non sit; ergo hanc ideam habet. Unde autem edocetur hic de doctriua sua, de qua sic falso edocetur? Ex sequenti ratiocinio: *ego habeo ideam, quod sim doctus; sed qui habet ideam, quod sit doctus, vere est doctus; ergo ego sum doctus*. Major, quam habet ex intimo sensu, verissima est, sed minorem, quam non habet ex intimo sensu, sed ex ratione male adhibita, quis non videt esse falsam? Ergo et conclusio labefactetur oportet; neque aliquid culpae habet in hoc intimus sensus, ut patet. Idem dicito de eo, qui somniatur, se esse divitem, et similia: quemadmodum etiam in hydrope accidit, qui ex errore non qnidem hausto ex intimo sensu, sed aliunde, quo scilicet putat falso, omnem, qui sentit sitim, debere bibere, sic arguit *omnis, qui habet sitis sensationem, opus est ut bibat; ego maxima siti urgeor; ergo debeo bibere*: minor hic verissima est, et hoc tantum per intimum sensum hydrops instruitur; major autem cum sit falsa corruit conclusio, seu falsam reddit conclusionem: id autem non vertendum vitio, ut quisque videt, testimonii sensus intimi, sed ratiocinii male instituti, seu peccantis in materia, adeoque stat doctrina proposita de veracitate absoluta sensus intimi.

CAPUT II.

Num, et quando Criterium veritatis portendere dicenda sunt, quae intellectui per Rationem cognoscenda proponuntur.

Cognitiones, quas mens habet a ratione, illae sunt, quas sive meditando sive judicando, sive etiam ratiocinando in quocumque genere ipsa sibi solet comparare. Jam vero in his dico, quod in primo casu, quando scilicet de his cognitionibus mens per simplices ideas, et judicia edocetur, illae tantum tamquam certo verae habendae sunt, in quibus immediate appareat evidentia. Evidentia enim, ut innuimus, unicum est veritatis criterium: potest utique illud etiam mediate apparere, uti pariter docuimus; at in hoc casu nullum medium supponitur, nisi immediata objecti inspectio, quo intellectus edoceatur; ergo nisi appareat evidentia immediate, criterium veritatis, proindeque ejusdem certitudo nulla alia potest ratione manifestari. Hoc autem tum in objectis, quae per ideas menti proponuntur, tum in iis, quae per judicia colligit mens, in circumstantiis tamen superius expositis, locum habere dico. Ut enim constet de judicii alicujus rectitudine, opus non est, ut judicium ipsum examinetur, sed satis est ut constet de veritate ideae convenientiae, vel disconvenientiae subjecti cum praedicato; quae si constet, jam

constat etiam de judicii veritate, neque enim judicium efformari potest diversum ab eo, quod evidenter appareat in idea convenientiae, vel disconvenientiae subjecti cum praedicato, quae judicium praecedit. Si autem sermo sit de cognitionibus, quas ratio colligit ratiocinando, dico, quod etiamsi immediate evidentia in ipsa cognitione, de qua agitur, non constet, satis est, ut constet evidenter ratiocinium in forma non peccare, supposita materiae veritate; quia ut in prima Logicae parte de ratiocinatione agentes vidimus; adeo verum est, quod per ratiocinium bene institutum infertur (dummodo in materia non peccet; de quo examen instituendum erit juxta diversitatem materiae ipsius, applicando regulas, quae respective necessariae erunt ad hanc veritatem certo inveniendam juxta ea, quae in hoc capite, praecedenti, et sequentibus traditae sunt, et tradentur), quam certum est, quod idem non potest simul esse, et non esse; sed in tali principio evidentia habetur certissima; ergo in tali casu mediate saltem veritas consequentis patet manifestissime.

Cum ergo in dubium revocari non valeat, toties mentem evidentissime suaderi de evidentia ipsa, quam praeferunt cognitiones, quas vel meditando, vel judicando per rationem colligit; similiter cum toties evidentissime ei constet, se rite fuisse ratiocinatam, supposita veritate materiei in ratiociniis adhibitae; patet etiam, quod revera ratio est fons

veritatis, ejusque certitudinis, dummodo seria cum reflexione, animoque a quacumque anticipatione alieno mens nostra ratione sibi tradita utatur.

CAPUT III.

Num, et quando certitudinis tesseram portendant cognitiones, quas ex externis Sensibus haurimus.

Quinque sensibus externis hominem a Deo donatum nemo est inter pueros, qui ignoret: quamplurimas, imo plerasque cognitiones ex iis quotidie intellectum nostrum haurire, norunt omnes; imo primos eos esse omnium nostrarum cognitionum fontes, docent Peripatetici, quorum satis vulgatum est illud *nihil est in mente, quod prius non fuerit in sensu*. Tot tamen sunt errores, in quos, si simpliciter sensus attendantur, quotidie labimur, totque falsissima, veluti certissima ii edicere videntur, ut non solum omnes de vulgo, sed docti etiam communiter veluti nullam fidem merentes de fallacia continuo sensus incusent. Jure ne, an injuria, jam videamus. Certe nimis ridiculum videtur asserere, Deum ad solum ornatum externum tot homini sensus contulisse, sicque mirifice interius, exteriusque fabrefactos, si nunquam veri nuncii illi forent, et veluti necessario semper homines ad errorem inducerent, quin discrimen foret unquam,

unde per eos verum a falso dignosceretur. Dico itaque primo: certo certius est, sensus externos certissimas quandoque nobis objectorum, quae repraesentant, cognitiones suppeditare. Licet enim sensus fallaces demonstrarentur in quamplurimis proponendis objectis, profecto nunquam tales asserere eos poteris ob evidentiam, quoties saltem integri constanter, et uniformiter testificanfur existentiam causae alicujus extra nostram mentem existentis, quae ideas corporum portendat, eorumque aliquas qualitates. Ultro interim dabo, sensus falsitatem ostendere ex. gr., dum solarem discum bipalmarem tibi exhibent, paucis passuum milliaribus distantem, flavo colore tinctum etc. At quod existat aliquid extra tuam mentem, quod per tuos oculos bipalmare, non adeo longe distans, flavoque colore aspersum tibi appareat, adeo evidens tibi est, quemadmodum evidenter agnoscis tibi talem ideam inesse, teipsum existere, te cogitare. *Extra te* inquam, nempe imaginationis effectum, quod ajunt, id nullatenus esse posse. Longe enim diversam agnoscis eadem evidentia ideam sensibilem ab imaginaria; et impossibile esse, ut per effectum imaginationis habeatur ea idea constans, et uniformis, qualis illa est, quae sensibilis apparet. Idem dicito ex. gr. dum cibum sumis, ejusque gustas saporem, ex ejusque sumptione satietatem experiris; dum nummos computas; eisque tibi victum comparas, et vestitum; sexcentaque hujusmodi universa. Pro-

fecto si sensibiles ideae, quibus de solis lucisque existentia a parte rei fis centior, et nummos, et dapes percipis tamquam a parte sui existentes, falsae forent; seu falsum repraesentarent, idipsum quod objecta sic cognita praestant praestare etiam cuique posset phantasiae ludus, et imaginationis. Dum ergo nummis eges, dum famem sentis, dum in obscuro loco versaris, per imaginationis aestum finge tibi habere nummos, quorum eges; coram dapes exquisitas te habere, et luce clarissima undique perfundi; etiam post haec incedendo in loco tenebricoso caput impinges in parietem, ventrem invenies vacuum, eadem paupertate, ut prius te oppressum invenies. Falsae ne semper esse possunt cognitiones, quas per sensus experiris, atque ut purae imaginationis effectus haberi possunt? Dum ergo nummos argenteos tibi videris habere, parvique ponderis, imaginare esse aureos, mensurae, et ponderis longe majoris; dum nonnisi cymam coram te positam ad famem expellendam tibi videris obtinere, finge illam exquisiti saporis, alteriusque figurae, ac tibi apparet; dum unam, vel alteram lampadem coram te accensam tibi videris habere finge eas esse indefinitas. Poteris ne haec unquam consequi, quae sic finxeris per imaginationem? Minime profecto. De existentia igitur talium objectorum, seu causae cujusdam extra tuam mentem, quae in ipsa excitat eorumdem vel quoad subjecti, vel quoad ejusdem nonnullarum qualitatum exi-

stentiam, cognitionem, dubitare nulla ratione potes. Quod autem de his dictum est, idipsum dicas necesse est de existentia ceterorum corporum, atque in eis qualitatum uniuscujusque, quoties per sensus integros ideae hujusmodi evidentes, constantes, atque uniformes habeantur; quod quidem in pluribus contingit. Ergo evidentissimum est, sensus quandoque tales cognitiones nostrae menti repraesentare, quae omnino evidentiam habent, criterium scilicet veritatis.

Atque hic pro re data inferre liceat, ex ideis sensibilibus tuto contra Michaelem Fardella, et ceteros Idealistas posse generice existentiam corporum concludi, et etiam in specie tum eorum existentiam, tum qualitates, ubi et ea in parte, in qua evidentia supradicta ideae hujusmodi potiantur; quemadmodum analysi facta idearum nostrarum sensibilium pluries de facto id contingere manifestum erit: id tamen primo; si sensibiles tantum ideae consulantur; eo in sensu, quatenus admittendum sit hasce ideas non esse imaginarias, ut Idealistae mordicus contendunt, sed effectus verae causae alicujus extra mentem existentis, unde illae oriantur. Ubi enim Idealista regerat, Deum forte esse, qui tales in nobis ideas absque ullis existentibus corporibus, nedum eorum qualitatibus, excitet; reponam, quod dato etiam, et non concesso, id fieri posse, semper verum foret, extare, ubi idea cum evidentia comitetur, causam extra

mentem, quae excitet ideam tum corporum, tum qualitatum eorumdem; sive causa hujusmodi sint ipsa corpora, sive sit Deus; et non esse purae imaginationis effectum, quod sic per sensus evidenter nobis repraesentatur. At insuper secundo dico, ex iisdem ideis sensibilibus, dummodo evidentia fulciantur, posse etiam (praeter id, quod per revelationem edocemur) corporum existentiam, eorumque qualitatum a parte sui evidentissime concludi. Eo ipso enim, quod positis ideis sensibilibus evidentibus hujusmodi, evidenter constat imaginationis hallucinationem eas minime esse posse, sed veram aliquam causam extra nos existentem, unde sic afficimur; cum aliunde ex ratione evidentissime constet, quod si Deus sine corporum, eorumque qualitatum existentia per se in nobis hasce ideas evidentes excitaret, eo minime vel directe, vel indirecte in contrarium praemonente, jam Deus ipse deceptor existeret; quod pariter, ut innuebam, est contra evidentem ejus, ut ex Metaphysica patebit, infallibilitatem; jam positis praedictis ideis sensibilibus rite, et evidenter concluditur talibus in circumstantiis corporum eorumque qualitatum existentia.

Sed quandonam sic certa mens erit de veritate objectorum sive quoad subjectum, sive quoad qualitates, quorum existentiam cognoscit per ideas sensibiles? Respondeo, et dico secundo: quoties cognitiones hujusmodi sint uniformes, constantes,

sensusque quibus repraesentantur; integri sint, et incorrupti. Quod erroribus quis subjiciatur, quando in sensibus corruptionem, et defectum patiatur, nemo sanae mentis inficiari potest, et idem foret inquirere, num veritas per sensus corruptos, vel imperfectos haberi valeat, ac sciscitari, num mentecaptus rite argumentetur, aut infirmus bene valeat. Nihilominus integritas sensuum non sufficit, ut quod per eos sic integros utcumque edocemur, statim certum esse pronunciemus. Factum ipsum quotidianum id ostendit, quod singulis instantibus cum experiamur, nihil est, quod in eo persequendo immoremur. Verum data sensuum integritate, idearumque per eos exhibitarum constantia, et uniformitate, adeo certum est, rem ita esse, quemadmodum a sensibus proponitur, ut nullus dubitandi locus remaneat. Profecto positis circumstantiis hujusmodi ita certa est mens, quod res ita sit, quemadmodum sibi videtur juxta ea, quae hucusque animadvertimus; uti certa est, quod sibi ita videatur; atqui in hoc consistit evidentia illa, in qua veritatis logicae criterium collocandum esse statuimus in genere contra scepticos initio hujus tractationis; ergo etc. Cubiculum ingredior, luce perfusum video, objecta extantia in eo feliciter distinguo, iterum, iterumque id experior: sic video ego, sic ceteri, qui mecum adstant, possum ne dubitare, an revera id, quod lux dicitur, eo in cubiculo reperiatur? Ululatum audio; au-

diunt et ceteri omnes, qui mecum comitantur, auribus arrectis adstamus, idem semper auditur; dubitari ne poterit causam aliquam vere extra mentem, et a parte sui existere, unde hic sonitus proficiscitur? Saccarum palato admoveo; dulcedinis ideam sentio; sic omnes, qui idem palato admovent: de saccari dulcedine quis poterit dubitare? Idem ergo de tot aliis sensibilibus cognitionibus etiam per alios sensus propositis cum intelligat unusquisque dici posse, et debere, patet et sensus toties edicere veritatem, et revera tunc eis fidendum, quando eorum integritate supposita, uniformiter, et constanter eamdem exhibent cognitionem.

Verum ut certior insimul, et magis practica res evadat, et confusio eliminetur locutionum, quae non solum à vulgo, sed etiam a philosophis, peritisque viris adhibentur, dum de ideis sensibilibus, sensibusque ipsis sermo est; ita ut in hac facti specie babelica veluti turris iterum construi videatur, nonnulla, quae potiora sunt, adhuc praestat animadvertere. Et primo quidem a sensibus, sensibilibusque ideis tantum non est expectanda certitudo cognitionis essentiae, causae, originis, aliarumque circumstantiarum intrinsecarum objectorum, quorum existentiam ipsi edicunt, sed solum certitudo existentiae objectorum ipsorum, quam ostendunt: ista enim omnia, supposita per sensus certitudine dictae existentiae, per cognitiones ut plurimum ab aliis fontibus proficiscentes, et praesertim a ratione

inquirenda sunt, et si fieri potest, per respectivam, et congruentem criterii veritatis applicationem verificanda. Video constanter, uniformiter, sensibusbusque integris experior tabulam rubro colore perfusam. Quod adsit quid, quod tabula nuncupari solet, quae datae, puta, figurae, et magnitudinis videtur, quodque in se habeat quid, unde talem duritiem, talemque exhibeat colorem, dubitare non possum: at ceteris omissis possum ne ex hac cognitione tantum edicere, quid proprie sit illud, unde talis coloris idea in me excitatur? Dicent nonnulli philosophi colorem non esse in tabula, sed in me: ita enim inquiunt est color in tabula, quemadmodum est dolor in acu, qui pungat; sed dolor non est in acu, sed in eo, qui sentit dolorem (28). Di-

(28) Frequens nostris hisce etiam temporibus est sententia in philosophia tironibus, qui dicunt colores, sapores, aliasque sensibiles qualitates non corporibus inesse, sed menti nostrae, uti dolor non est in corpore, per quod dolorem experimur, sed in nobis; unde et ignorantiae vulgus insimulant, quod colorem, saporem, odorem etc. corporibus inesse dicat, et sensus fallaciae, qui talem ideam exhibent, ac si revera illa corporibus inessent. Sed philosophi isti in pura logomachia versantur. Etenim facta distintione omnis evanescit cum eorum theoria tum vulgi, tum sensuum defectus: si nomine odoris, coloris, saporis etc. intelligatur sensatio, optime dicunt hanc nobis inesse, non corporibus; si intelligatur causa, unde in nobis sensationes hujusmodi oriuntur, bene dicunt et sensus, et vulgus. Por-

cent Physici colorem nil aliud esse nisi reflexionem quorumdam tantum radiorum lucis, qui cum in fasciculos a corpore lucido ad tabulam deveniant, diversaeque spissitudinis sint inter se, pro qualitate superficiei tabulae nonnulli datae spissitudinis a tabula ipsa imbibuntur, alii spissitudinis diversae reflectuntur ad oculos videntis; unde cum pro qualitate suae ipsius spissitudinis diversa motum diversum in retina oculari excitent, diversam etiam excitant in animo sensationem; haec autem sensatio, puta, colòr ruber dici consuevit, altera viridis diceretur, altera flavus etc.: sed quidquid tandem sit de his, semper verum erit extare a parte

---

ro communiter loquendo, nomine odoris, coloris, saporis etc. non sensatio, sed causa producens sensationem intelligi solet; neque ergo vulgus errat, neque sensus falsum insinuant; nunquam enim quis dicet, se a sensibus edoceri, ideam, et sensationem coloris, odoris etc. corporibus inesse, bene vero causam tantum respondentium sensationum hujusmodi: si ergo philosophi praedicti nomine odoris, coloris etc. intelligerent cum vulgo causam sensationum, nulla amplius lis haberetur. Ad id autem, quod observant de dolore, sat est animadvertere, quod doloris nomine tum ipsi, tum vulgus, tum omnes non sensationis causam, sed sensationem ipsam intelligunt, unde paritas non stat. Sed haec per transennam dicta sint, et ad eliminandam ridiculam quaestionem, in quam isti dejicere solent tirones, quos de his secum acriter digladiantes toties reperi absque ulla utilitate, et fundamento.

rei in tabula quid, unde talis in me idea excitatur, quae color ruber dici solet; et hoc unum est, quod per visionis sensum simpliciter sumptum excepi: et hoc unum ergo de cujus existentia per ideam a visu exhibitam est judicandum: cetera excutienda, et verificanda erunt per evidentiam, quam dare possunt pro opportunitate alii idearum fontes, cum ex iis, non ex sensibus tantum cetera haec cognoscenda proponantur. Forte in evolvendis, examinandisque praedictis placitis philosophorum nonnulla alia edicent sensus, sed haec admiscentur saltem cum aliis pluribus, quorum notitia ab aliis fontibus repetenda: opus est ergo, ut non solos sensus adhibeam ad haec inquirenda, et verificanda. Quod in hoc exemplo diximus, mirifice patet ad infinita prorsus extendi debere circa ea, quorum prima notio a sensibus nobis repraesentatur.

Animadvertendum secundo est, sensus nostros tales in se esse constructos, ut neque apti sint ad omnium prorsus veritatem edicendam, quae ipsis utcumque offeruntur; et quoad distantias, et magnitudines praesertim corporum eos nulla ratione idoneos testes habendos circa earum qualitatem. Ita ex. gr. corpuscula minuta oculi nudi non vident; tactus non distinguit et prominentias, et cavitates parvulas, quae in planis laevigatissimis adhibito microscopio apparent etc.: similiter sol, licet plusquam decies centenis millibus vicibus tellure nostra sit major, non apparet certe, qualis

est; uti si corpora in maxima distantia ab oculis nostris collocentur, vera eorum distantia non amplius distingui potest, et aequaliter, puta, distans apparebit, quod decem, ac quod duodecim milliariis distet ab oculo talia corpora prospiciente. Hoc sane totum a constructione sensuum, vel modo, quo objecta exhibita menti repraesentant, est repetendum: Divinaeque Providentiae consilium fuit ita eos construere. Si enim, puta, solis magnitudinem ita videremus semper, et ubique, ut in se est, similiter ejus calorem sentiremus, ut in ejus propinquitate sentitur, quis posset ad ejus conspectum consistere, quidve utilitatis ad ejus praesentiam haberemus? Si animalcula omnibus in liquoribus, imo et cibis existentia videremus, quomodo stomachus non moveretur semper in cujusque cibi, potusque sumptione? Idem dicatur de tot aliis similibus circumstantiis, in quibus continuo versari debemus. Hinc cum agitur de hujusmodi, non est sensuum tantum testimonium adhibendum; sed uti in altera animadversione diximus, subsidium etiam aliorum fontium idearum, unde illae habentur, et haberi possunt, resque si potest, per applicationem respectivam criterii veritatis expendenda. Quod tamen hic sedulo observari praestat: quod interim sensus soli in his casibus vel nihil edicunt, uti quando corpora nullatenus repraesentant, vel non sunt uniformes, constantesque cognitiones, quas exhibent; adeoque nihil ex hoc

contra doctrinam a nobis superius traditam de sensuum, sensibiliumque idearum testificatione, quod nempe aliquando certitudinem importet; et de circumstantia, in qua diximus eam certo certius importare.

Animadvertendum tertio, saepius sensus res diversimode ostendere, ac ipsae sunt, ratione corruptionis sensuum ipsorum: sic qui regio, puta, morbo laborant, omnia flavo colore tincta aspiciunt; qui febri urgetur, dulcissimum etiam vinum sentit amarulentum. Ast non inde aliquid nutat assertio nostra de certitudine veritatis, quae in sensibilibus cognitionibus obtineri potest. Ut enim innuimus, id de sensibus integris asseruimus, non de corruptis: num autem corrupti sint sensus, an non, facile deprehendi potest, nisi per se aliunde innotescat, ex difformitate idearum, quae habentur de re eadem ab una persona relate ad alias, vel uno tempore relate ad aliud.

Animadvertendum quarto, difformiter quandoque sensus rem eamdem repraesentare ex diversitate medii, quo impressiones ab objectis externis recipiunt: sic baculus rectus in aere visus, immersus oblique in aquam videtur intortus, et pannus a solis radiis percussus cyeneum colorem reddens, viridis apparet, si a facis lumine percutiatur. Phaenomenon tamen hujusmodi nil pariter detrahit supradictae assertioni nostrae, cum non habeatur in talibus circumstantiis uniformitas, et

constantia in repraesentatione; quas tantum certitudinem veritatis testari contendimus.

Hinc animadvertendum quinto est, non obstantibus praedictis illusionibus, quibus extra casum, in quo per sensus integros constanter, et uniformiter cognitio aliqua habeatur, subjicimur in cognitionibus sensibilibus, nunquam tamen fallaces rigorose loquendo sensus ipsos dici posse, et per solam dementiam de fallacia posse unquam sensus incusari. Fallax enim rigorose loquendo ille tantum est, qui rem edicit, et repraesentat diversimode, ac ipse de re eadem afficitur; atqui sensus utpote materiales, et impressiones sibi factas immutandi incapaces non possunt intellectui rem repraesentare diversa ratione, ac per ipsam affecti sunt; ergo etc. Unde ergo, inquies, corpora distantia viciniora repraesentant; minusculum corpus a longe positum reddunt, licet magnum in se sit; vinum dulce in ore febri laborantis in amarum transformant; in oculis icterici flavi coloris objecta quaevis ostendunt; baculum rectum in intortum in aqua, cyeneum colorem sub facis lumine in viridem immutant, et his similia? Ex eo quod ex parte mediorum, seu dispositionis ipsorum sensuum talis impressio, talis motus fit in sensibus ipsis, qualis fieret a corpore viciniore, a vino amaro, a corpore flavo, a baculo retorto, a panno viridi: non ergo quod sensus decipiant, sed quod et ipsi quodammodo decepti dicendi sint,

tales nobis errores obveniunt: ipsi enim nunquam decipiunt, nec decipiendi capaces esse possunt: adeo verum, quod et in ipso Sanctissimae Eucharistiae Sacramento nullum nos in errorem inducere dicendi rigorose sunt sensus. Si enim species panis, et vini ibi repraesentant, omni panis, vinique substantia absente; id contingit, quia et ipsis per Divinum ineffabile miraculum ad Sanctissimi Corporis, et Sanguinis Christi praesentiam talis fit repraesentatio (29). Id ergo reponunt, quod recipiunt; nulla ergo deceptio ipsis imputanda (30).

---

(29) Videatur Dissertatio *de sensuum usu in inquirenda veritate* a clarissimo viro Dominico Testa Romani Pontificis Litterarum Apostolicarum in forma Brevis ad Principes a Secretis edita, dum in Universitate Gregoriana Urbis Logicae, et Metaphysicae Professor agebat, et quem olim Discipulus honoris causa nomino.

(30) Nemini autem subsit dicere, hoc in casu Deum nos decipere, cum diversa cogat sensus referre nobis, ac res in se sunt; eo ipso enim quod Deus mysterii hujus saluberrimi institutor ad nostram exercendam fidem, consovendamque, de hoc ipso nos praemonuit, jam quaelibet aufertur deceptionis suspicio. Idem dicito relate ad errores, in quos labi cogimur unico, et simplici sensuum testimonio toties adhibito, habito respectu ad ea omnia, quae superius docuimus de non attendendo tali testimonio nonnullis in circumstantiis, in quibus vel ex natura sensuum, vel ex medio, quo objecta sensibilia repraesentantur, vel aliis de causis hujusmodi objecta ipsa non sese menti offerunt

Quid ergo dicendum de erroribus in quos prolabimur, si ideis sensibilibus, prout se exhibent, toties fidamus, objectaque ab ipsis repraesentata talia semper esse judicemus, qualia ab ipsis prima fronte proponuntur? Quibus errores hujusmodi erunt tribuendi? Quae generatim locutio recta philosophice adhibenda erit, dum de sensibus agitur, ideisque, quae per sensus exhibentur? Respondeo. Sensus nunquam de fallacia proprie dicta incusandos: eos pluries veritatem certo nobis edicere profitendum; tales tamen non esse, ut semper sint media apta ad veritatem circa objecta sensibilia per se solos exhibendam in pluribus, vel quoad totam singulorum objectorum extensionem. Sensibus proinde, sensibilibusque ideis tunc tantum fidendum, cum et quatenus evidenter, constanterque objecta repraesentant, ipsique integri deprehendantur, in ceteris vel suspendendum judicium, vel recurrendum ad alios idearum fontes, ad quos spectant objecta, de quorum veritate inquiritur. Quibus omnibus perpensis, adhibitisque hujusmodi cautionibus, patebit manifestissime,

---

per solos sensus, prout sunt in se; satis enim talibus in circumstantiis, ut ex predictis apparet, praemonemur evidentissime, sensus minime tunc aptos esse ad veritatem ostendendam. Porro fallax dici nequit qui dum rem diversimode repraesentat, simul de hoc ipso moneat, quos alloquitur.

nullos esse posse errores, in quos prolabamur circa objecta sensibilia, et de quibus erroribus inquiri debeat, quibus tribuendi sint. Tunc enim tantum erroribus obnoxii erimus circa objecta sensibilia, quando perperam, neque omnibus adhibitis cautionibus, de quibus supra, ex una apparentia sensibili de veritate, vel falsitate objectorum sensibilium voluerimus judicare. Porro tunc sibi quis imputet errores hujusmodi, suaeque praecipitantiae in judicando.

CAPUT IV.

De Veritate notionum, quas auctoritate Divina habere possumus.

Cum ratione evidenter edoceamur existentiam Dei, seu Entis perfectissimi, quod proinde et summa bonitate, et infinita sapientia sit praeditum, uti in Theologia naturali Deo ipso dante videbimus, patet evidenter, Ens hujusmodi nec fallere, nec falli posse: alias esset Deus, et non esset. Porro auctoritate Divina illas habemus notiones, quas Dei locutio, seu revelatio suppeditat; cognitiones ergo hujusmodi, quoties de revelatione Dei evidenter constet, de cujus possibilitate jam nonnulla diximus contra Deistas initio secundae Logicae partis; si non immediate, mediate saltem, seu ex principio contradictionis veritatis characterem, seu

criterium habent manifestissimum. Tota difficultas ergo in his cognitionibus, ut pro veris habeantur, eo reducitur, ut constet evidenter, quod Divina locutio ea sit, quae illas nobis proponat, et manifestet.

Neque locus, neque animus hic est, media illa prosequendi, quibus de Divina nobis locutione constare valeat; et quibus evidenter constat quoad singula Catholicae Religionis dogmata; Theologorum enim hoc praecipuum munus est. Logico satis esse debet animadvertisse, revelata a Deo criterium in se certissimum veritatis habere, eo ipso quod constet ea esse a Deo revelata.

CAPUT POSTREMUM

Num, et quando certo, vel probabiliter verae sint cognitiones, quas auctoritate humana agnoscimus, seu DE REGULIS CRITICES.

Ars critica (31) a graeco verbo χρινω *judico* in genere est ars judicandi de veritate cujuscumque

(31) In hac Arte critica tradenda minime recedendum duxi quoad substantiam ab iis, que jam ex mea familia Decessor Joannes Carolus Bonomi tradidit in hanc rem in sua Synopsi de Locis Theologicis publici juris facta anno 1781: ea enim satis accurata in sua brevitate arbitror; summae proinde utilitatis.

objecti, quod nobis proponatur. Per antonomasiam tamen, et prout a nobis hic sumitur, nil aliud est, nisi ars judicandi de veritate eorum, quae nobis ex auctoritate humana cognoscenda proponuntur. Ea porro sunt, quae vel ex hominum assertione constant, vel ex monumentis addiscimus; quae tamen aequivalent hominum assertionibus per monumenta ipsa nobis loquentium. Critices ergo praecepta ea sint oportet, ut ea indicia detegant, quibus tandem fieri valeat, ut tuto judicare possimus certitudinem inesse rei, quae vel monumento, vel testis alicujus assertione proponatur.

Itaque de monumentis primum acturi duo animadvertimus: primo eorum nomine hic intelligi debere numismata, codices, libros, lapides, picturas, scripta, aliaque id genus universa. De iis secundo ita nos agere velle, ut indicia proferamus, quibus de eorum genuinitate tantum, et quidem proprio judicio non alieno judicare quis valeat. Cetera enim ad sequens institutum de hominum testimonio spectare apparet manifestissime, seu saltem ex tractationis decursu apparebit.

Monumenta porro illegitima esse nequeunt, nisi quatenus aut corrupta, aut conficta sint. Verum cum quis solus possit plerumque, vel paucorum, et quidem rudium saepius opera ea confingere, vel corrumpere; fallacia autem facillime latere valeat, nec mediocrem saepius ex tali fallacia quis nancisci possit utilitatem, licet homo ea sit a na-

tura indole, ut mendacis notam omnino abhorreat, nisi commodum speret ex mendacio consequi, quis de monumentorum genuinitate ex una eorum existentia sponsor accedet? Eo vel magis cum aetatis cujusvis historia prodat, quot fuerint, qui monumenta confixerint, et corruperint. Nihilominus si sequentia attendantur, tutissimam habebit quisque viam ad certitudinem genuinitatis habendam monumenti cujuscumque.

Nemo enim, arbitror, inficiabitur pro genuino monumentum illud certe habendum, de quo demonstretur, physicam virtutem defuisse ad illud confingendum, aut corrumpendum. Ergo monumentum, quod certo constat, nec alia aetate, nec ab alio auctore, nisi quae praefert, confici in totum, vel in partem potuisse, certo habendum respective vel pro legitimo et incorrupto, vel pro legitimo tantum, licet forte corrupto; probabiliter autem tantum pro tali habendum, si constet fictionem nonnisi difficile contingere potuisse; suspendendum tandem judicium, si fictio facilis fuerit: quae aliunde si certo constet, vel pro illegitimo, vel pro corrupto pro certo habendum. Ast quaeres, unde haec difficultas, vel impossibilitas fictionis constare possit? Animadvertendum, nec quamlibet personam, nec quamlibet aetatem aptas esse ad omnia exhibenda, quae ad opus quodvis fingendum, vel corrumpendum ad eam perfectionem, ut detegi fictio vel totalis, vel partialis non valeat, deside-

rantur. Litterarum forma, stylus, voces quaedam, delineamenta aetatis, pergamenae, lapidis etc., notae antiquitatis exurgentes ex rubigine, colore, situ etc. simul concurrere debent, ut pro vetusto habeatur, quod recens est. Similiter quaelibet aetas, quaelibet natio, regio quaevis, quivis specialis auctor suam tam in fabrefactis, quam in loquendo faciem veluti singularem habet. Porro nedum speculative, sed et practice constat haec insimul omnia utique necessaria, quae habeantur, et praestentur in falso monumento, ut tamquam verum venditetur, neutiquam ita simulari posse, ut falsarius quis vel corruptor acu rem possit attingere. Proxime ad veritatem accedet, perfectionem habebit nunquam, sicut nec duo perfecte similia in natura, licet adinveniri possint, adinventa forte adhuc sunt. Semper igitur a parte rei adest discrimen falsum inter, verumque monumentum, inter corruptum, et undequaque genuinum. Novi equidem difficillimum plerumque fore discrimen hujusmodi internoscere speculative, idque ex plurimorum inspectione pendere. At frequenter, et attente monumenta plura genuina, et incorrupta perlustrans facillime, quae talia non sunt, discriminabit. Imo frequens hujusmodi perlustratio, et inspectio diligentissima potissimum erit medium, et regula ad judicandum de genuinitate monumentorum. Hinc ineruditos etiam, rudesque homines novimus, artis criticae regularum omnino ignaros,

qui tamen generis cujusdam monumenta saepe saepius pertractent, ita facile ex gustu quodam, et sapore, nonnisi per experientiam acquisito, legitima a spuriis secernere, ut impossibile prorsus sit, qui fallantur: econtra vero experientia hujusmodi destitutos, regulis quibusdam definitis utentes, utique non spernendis, falli saepius, cum ad tale judicium tuto proferendum idea completa requiratur objecti maxime compositi, et ex pluribus sensibilibus exurgentis; in quo proinde mille errandi pericula adinveniuntur, nonnisi vel infinitis regulis, quae impossibile ut statuantur, vel experientia praecavenda.

Duo hinc tamquam consectaria liceat inferre.

Ergo primum si nosmet legitima, et incorrupta a spuriis monumentis secernere velimus, sedula nobis experientia erit opus in iis inspiciendis, volutandisque, maximoque proinde eorumdem apparatu nonnisi immensis sumptibus comparando: in qua proinde facti specie nunquam satis laudandum erit Principum supremorum studium in asservandis, comparandisque antiquitatum monumentis, Virisque insignibus, et expertis tali muneri proposito condigno praemio praeficiendis, ut inde historica veritas sarta, tectaque habeatur. Ergo secundo quoties constet nobis de veracitate testis cujusdam monumenti alicujus genuinitatem asserentis (de cujus veracitatis detegendae regulis inferius erit sermo); aliunde vero perspectum sit nobis e-

jus generis monumenta sedulo, et frequentissime perlustrasse, assertio ejus respui nulla ratione poterit, etiamsi de homine illiterato ageretur.

Sed jam ad regulas statuendas deveniamus, quibus supposita genuinitate librorum, codicum etc. secernere possimus, quandonam assertioni hominum aliquid nobis vel oretenus, vel per genuinum monumentum tradentium absque ulla haesitatione, et errandi periculo assentiri valeamus.

Duo porro ea sunt, quae certo constare debent in eo, qui factum aliquod asseveret, ut tuto eidem assentiamur; hominem scilicet et rem novisse, et veraciter enunciasse; judicium ergo, quod de certitudine rei ab homine aliquo enarratae efformare debemus, proportionem habere debet cum certitudine, quam habere possumus de asserentis scientia, et veracitate; seu tunc certi erimus de re asserta, quando certo noverimus asserentem nec falli, nec fallere potuisse; pro ratione autem qua certitudo haec minuatur, minui etiam debebit rei ipsius, quae asseritur, certitudo.

Licet vero agatur de actibus internis, hominum intellectionibus scilicet, et volitionibus, cum agitur de eorum scientia, et veracitate; scit enim homo, si rem evidenter intelligit, verax autem esse potest tantum, si velit: actibus inquam internis, qui nulla ratione indicio aliquo tuto investigari posse videantur; unde spes nulla affulgeat de certo indicio inveniendo, quo de asserentis alicu-

jus scientia, et veracitate tuto certioremur; si tamen naturam hominum, et rerum, de quibus testificantur, intimius perscrutemur, extant profecto indicia nonnulla externa, quibus quandoque certo, aliquando vero probabiliter tantum de eorumdem scientia, et veracitate judicium proferamus. Potiora hic constabiliemus; neque enim longius vagari operis consilium permittit.

Et ad veracitatem primo quod attinet, ut a re minus implicata exordiamur; tria in homine observare licet omnino certissima; undecumque ea dixeris provenire: primo ita hominem naturaliter duci ad veracitatem, ut nisi commodum ex mendacio speret mendax esse nolit unquam: secundo ita hominem naturaliter velle opinionem veracis apud alios, ut nisi magnum commodum inde speret, detegibile mendacium proferat nunquam: tertio impossibile esse, quod homo mentiatur etiam infinitum, ut ita dixerim, bonum ex mendacio sperans, si simul noverit, prius mendacium detegendum, quam ullum exinde bonum consequatur; bonum autem ea una ratione speret, quatenus res asserta habeatur ut vera independenter tamen a sua assertione.

Hisce positis en Canones potiores ad judicium proferendum de asserentis alicujus veracitate. Et quoniam aliquando asserens rem narrat, uti sibi tantum notam, aliquando ut notam etiam aliis; aliquando unus, aliquando plures idem testantur; ex

tribus praenotatis sic eruimus quando et quomodo certo, vel probabiliter constare possit de veracitate hominum; vel contestes habeant, vel non; asserentium aliquid, quod sit notorium aliis, vel etiam tale non sit, aut non supponatur.

Diço ergo primo: si unus tantum referat, quae aut natura sua occulta esse solent, puta, gesta inter domesticos parietes, audita sine teste, quae levioris momenti sunt, et facile excidere solent ex hominum memoria; narrantur autem post longum tempus: similiter quae narrantur evenisse in regionibus longinquis, cum quibus commercium non habetur, et similia, aut quae asserens putat aliis occulta esse, habetur tantum probabilitas veracitatis, nisi tamen in asserente *solide probetur* virtus longe excedens communem hominum conditionem.

Probabilitas, inquam; cum enim mendacium detegibile non sit, saltem juxta asserentis praesumptionem, unus amor naturalis veracitatis juxta primum notatum retrahere hominem potest a mendacio; amor certe, qui quovis imaginario bono ab asserente ipso sibi proposito extinguitur. Quis autem sponsor, tale aliquod bonum non sperasse asserentem a suo mendacio?

Cum vero quidam adeo honesti reperiantur, ut quovis etiam commodo proposito non mentiantur, hinc est additum, *nisi in asserente solide probetur virtus longe excedens communem hominum conditionem*. Nota tamen bene verba *solide non pro-*

betur; virtus enim longe excedens communem hominum conditionem probanda est, non supponenda. Quod si demonstratio haec habeatur, certitudo veracitatis in asserente rationem sequetur demonstrationis, quae de virtutis hujusmodi excessu proferatur.

Dico secundo: si unus referat, quae natura sua aliis nota esse debent, uti publica documenta, et gesta, vel quae ipse asserens putat nota esse aliis, sed non contemnendae auctoritatis, hominibus, et a quibus noverat potuisse de falsitate revinci, maxima habetur probabilitas veracitatis; dummodo non constet, maximum commodum ex mendacio asserentem sperare potuisse, vel in ipso asserente *solide* non probetur improbitas longe excedens communem hominum conditionem.

Sane juxta secundum praenotatum homo detegibile mendacium profert nunquam, nisi maximum ex suo mendacio commodum speret, ob naturalem, quem habet proprii boni nominis amorem; atqui ex una parte juxta hypothesim mendacium foret detegibile; maximum autem commodum, quod hominem ad infamiam mendacis contemnendam inducat, non tam facile obvium est; ergo in hypothesi supradicta maximam haberi veracitatis probabilitatem constat manifestissime: *probabilitatem*, inquam; fieri enim potest, licet raro, ut tale commodum referens speraverit aut verum, aut commentitium. Quod si de re notissima ageretur, et qui-

dem facillime in casu falsitatis respuenda; constaret autem positive, nullum ex tali assertione commodum referentem sperare potuisse, facile etiam dabo probabilitatem assertam ad certitudinis gradum usque pervenire. Additum est autem, dummodo non constet, maximum commodum ex mendacio asserentem sperare potuisse, vel in ipso asserente solide non probetur improbitas longe excedens communem hominum conditionem. Neque enim assertio in primo casu firmaretur per secundum ex nostris praenotatis: quoad secundum vero patet unicuique, quod sicut honestissimi homines adinveniuntur, qui etiam in occultis mentiuntur nunquam prae quocumque bono, quod ex mendacio nancisci valeant, ita impudentissimi etiam existunt, qui nullo psoposito peculiari bono detegibilia mendacia passim proferant, nullam de bono nomine curam habentes. At cum perpauci homines hujusmodi adinveniantur, excessus autem quilibet tam virtutis, quam improbitatis facile non sit supponendus, ideo dictum est, *solide* hoc in casu probandam esse asserentis improbitatem.

Dico tertio: si unus referat ea, quae audientes, aut legentes jam sensibiliter noscere debebant, aut sensibiliter noscere poterant, nullum autem bonum ex assertione sperare possit, nisi quatenus res asserta credatur vera ab audientibus independenter a sua assertione, certum omnino est, hominem hunc non mentiri.

Veracitatis certitudinem in tali assertione inficiabitur solum vel qui terminos non animadverterit, vel qui negaverit tertium praenotatum; quod inficiari nequit, nisi qui eo devenerit, ut dicat, hominem posse velle sibi purum malum, cognitum uti tale. Cum itaque nemo inveniri possit, qui tale absurdum admittat, ne termini propositionis confusionem ullam ingerant, expende diligenter verba illa, in quibus dicitur, quod audientes *sensibiliter* rem noscere debuerint, vel potuerint, eamque pro vera habere debuerint ex se, independenter ab asserentis relatione. Si enim ageretur de re, quae per ratiocinium, vel speculationem aliquam nosci deberet, fiducia in asserente supponi potest, quod audientes, vel legentes arbitrentur se in ratiocinatione sua decipi potuisse. Item si ageretur de re, ex cujus assertione sperari valeat bonum, utcumque ejus veritas credatur etiam dependenter ab asserentis auctoritate, fiducia pariter concipi valet in asserente, quod audientes, vel legentes malint assertioni acquiescere, quam rem sedulo investigare; quibus in casibus certitudo evanescet, in iisque ad summum probabilitas locum habebit: at non item in terminis supradictis tertiae hujus assertionis, ut patet. Neque est, quod regeras, propositionem, licet certitudinem veracitatis importet, nullius tamen utilitatis esse in praxi, eo ipso quod supponitur, rem assertam legentibus aut audientibus jam cognitam esse aut sta-

tim cognoscibilem; quod autem pro vera habeatur res, pendere non debere ex asserentis auctoritate, sed ex rei ipsius perlustratione. Ad hoc enim reponimus, quod licet assertionis certitudo in hoc casu nullius utilitatis sit audientibus, vel legentibus tempore, quo res narrata recoli potest, et explorari, utpote qui rem aliunde vel jam novisse, vel noscere debere supponuntur; maximae tamen erit pro iis, qui vel in codice, vel in monumento aliquo rem scriptam legerint post tempus, quo res narrata recoli potuisset, et explorari (supposita monumenti genuinitate, et reliquis supponendis ut supra); eo ipso quod juxta suppositionem noverint hi hominem in ea circumstantia constitutum in assertione sua mentiri neutiquam potuisse; quo fiet, ut relate ad veracitatem pro certo vera habere debeant rem, quam ipse asseruit, licet nec aliunde noverint, neque valeant cognoscere.

Haec quoad unicum asserentem. Quod si plures fuerint in re eadem referenda, duo haec animadverte. Primo scilicet non adeo facile convenire posse plures homines in mendacio etiam sibi utili asserendo, etiamsi agatur de re occulta, a fortiori vero si falsitas fuerit detegibilis: quae imo in occultis quoque detegibilis evadit, dum res adeo occulta non sit, eo ipso quod a pluribus asseritur.

Secundo, quod dum hic, et alibi dico *plures*, intelligo de iis, qui revera tales dici possunt, nempe quod unus ab altero rem non exceperit, quod

unus alterum non exscripserit etc., sed singulos ex peculiari fonte rem novisse comperiatur. Quibus positis dico, quod si propter naturalem veritatis amorem, quem habet homo, veracitatis aliquam probabilitatem innuimus in asserente singulari etiam cum mendacium ex sui natura detegibile non foret juxta primum assertum; si maximam probabilitatem juxta secundum, dum mendacium foret detegibile propter naturalem, quem habet homo sui boni nominis amorem; si demum juxta tertium, quia homo non potest sibi velle purum malum cognitum uti tale, certitudo habetur de veracitate hominis singularis, dum asserit in circumstantiis ibi statutis; probabilitas respective augebitur; certitudo autem extremum usque gradum attinget (si ita loqui fas est; certitudo enim cum stet in indivisibili, veros gradus obtinere non valet), dum non unus, sed plures sunt, qui idem asserant, et testentur. Imo et illud animadvertendum, quod dum plures in re eadem asserenda conveniunt, constat autem unum, vel alterum ex. gr. utilitatem aliquam sperare posse ex assertione ipsa, vel esse in circumstantiis primae vel secundae assertionum nostrarum, alios vero esse in circumstantiis tertiae assertionis, quamvis non omnes veracitatis certum portendant characterem, attamen habetur in asserto veracitatis maxima certitudo, ut patet tertium nostrum assertum consideranti.

His jam enucleatis, quae potiora erant ad dignoscendam veracitatem hominum, dum aliquid asseverant, ad ea potiora pariter constabilienda progrediamur, unde certo, vel probabiliter constare possit, eos necessaria scientia rei assertae potitos fuisse quam hactenus in asserentibus supposuimus vel examinandam, vel existentem; quae tamen nisi adfuerit, nobisque explorata sit, perperam veracissimi etiam cujusque hominis dictis assentiemur. *Potiora*, inquam. Non enim inficias ibo alias quoque regulas constabiliri posse, sicut ad monumentorum genuinitatem, ita et ad veracitatem, scientiamque hominum aliquando certo, aliquando probabiliter detegendam, demonstrandamque. Sed nobis Praelectionum tradendarum tempus, et operis consilium non sinunt, ut nisi principaliora prosequamur.

Jam vero homo dum rem asserit, aut loquitur ut *testis*, vel ut *judex*; ut *testis* inquam, dum rem enarrat, quae ipsi constat vel ex intimo sensu, vel ex unius, aut plurium sensuum relatione, nempe visu, auditu etc.; ut *judex* vero, cum ea refert, quae ipsi constare non possent, nec poterant nisi dependenter a judicio aliquo, vel ratiocinio. Ita ex. gr. cum dicit talem hominem probum fuisse, vel improbum; justum, vel injustum; item cum dicit, vel supponit, monumenta, et asserta aliorum, ex quibus suas assertiones eruit, et confirmat, genuina esse, et ve-

racia, et alia hujusmodi, in quibus omnibus non tantum asserit homo, sed judicat.

Ut ergo nobis de scientia hominis asserentis certo constare possit, alia constare debent in homine, qui ut testis loquitur, alia in eo, qui agit ut judex: de primo scilicet certi esse debemus, quod deceptus non fuerit ab intimo sensu, vel a sensuum externorum relatione; de secundo vero quod recte judicaverit, vel fuerit ratiocinatus. Seorsim itaque de teste, et judice quoad scientiam disseramus; et primo quidem de teste.

De hoc autem facile me expediam nonnullis praenotatis. Intimo scilicet sensu ea constare homini dici possunt, quae respiciunt existentiam propriae ideae, vel affectionis, et status animi proprii. Porro si de his agatur, perperam canones inquiruntur ad dignoscendum, falsus nec ne sit asserens; in his enim, quae proprio intimo sensu constant, falli homo nulla ratione potest, uti initio hujus secundae Logicae partis demonstravimus.

Quod ergo spectat ad regulas constabiliendas pro judicanda scientia hominis, qui asserit ut testis, satis est, ut illae versentur, et constabiliantur quoad objecta, quae per sensus externos noscere homo potuerit, atque debuerit. His positis.

Dico primo: homo, de quo constet alterationem non pati in sensibus externis, vel in phantasia, referens rem dependenter a diuturna unius, vel plurium sensuum affectione non longe ante cogni-

tam, vel si longe ante cognoverit, eam referat pluribus circumstantiis copulatam, impossibile est, quod scientiam non habuerit rei, quam enarrat: secus probabiliter tantum judicandum erit pro ipsius scientia.

Sane facti universalis, et constantis est in natura, sensus integros, et sanos hominis phantasiae non perturbatae constanter, et uniformiter alterari non posse; ita ut quis videatur sibi videre, tangere etc. id, quod neutiquam videt, tangit etc.

Similiter ex eodem principio constat, quod licet homo sensibus etiam integris, et phantasia incorrupta ex memoriae tantum defectu facile arbitrari possit quandoque, ubi agatur de rebus longe ante cognitis, se vidisse, et attrectasse, quae non tetigit, nec vidit unquam, neutiquam tamen id fieri potest circa res, quae pluribus cum adjunctis, et circumstantiis connexae referantur; impossibile est enim, ut quis in tot objectis a memoria decipiatur. (Recole, et animadverte, hiç agi de homine, cujus perspecta supponitur veracitas). Stat ergo assertum ex ipsa experientia super hominis natura.

Unum in asserto testem consideravimus: quod si plures ii fuerint, qui in eadem re asserenda conveniant, patet manifestissime non solum probabilitatem, sed et certitudinem respective ad ea, quae sunt adnotata de teste singulari, ad summum gradum pervenire. Ast insuper cum impossibile sit, ut

duorum etiam hominum sub eadem ratione, et lege uniformiter commoveantur sensus, vel phantasia eodem tempore circa idem objectum, saltem pluribus circumstantiis copulatum, et cujus cognitio a pluribus sensibus, seu a plurium sensuum affectione diuturna dependeat;

Dico secundo, quod si duo etiam testes, corruptis quoque phantasia, memoria, et sensibus rem eamdem enarrent pluribus copulatam circumstantiis, quamque plurium sensuum diuturna affectione etiam longe ante cognoverint eodem tempore, impossibile omnino est negare iis scientiam, quae requiritur, ad rem hujusmodi tuto, et infallibiliter asserendam.

Sed jam de judicum scientia aliqua dicenda sunt. Judex est asserens juxta definitionem superius allatam, quando asseverat, quae judicii, vel ratiocinii ope cognoverit; certitudo ergo, vel probabilitas scientiae ipsius quoad rem assertam rationem sequatur oportet certitudinis, vel probabilitatis, quam habeamus rectitudinis judicii, vel ratiocinii ab eodem efformati. Animadvertere autem hic praestat ad judicium, vel ratiocinium recte efformandum aptum esse quemcumque ratione utentem, dummodo claras, distinctasque ideas habeat rerum, de quibus judicare debeat, vel ratiocinari: iis enim tantummodo habitis rudes ipsi etiam absque Logica aptissimas inferunt illationes: contra vero sine istis philosophus etiam hallucinetur oportet. Logicae enim praecepta sunt, ut noscatur, quid

valeant mentis operationes, qua ratione pariter iis utendum ad claras, distinctas, certasque notiones etiam in arduis, abstrusisque objectis sibi efformandas; donec autem eo homo non pervenerit nempe ad ideas claras habendas, nunquam recte judicare poterit, vel ratiocinari, etiamsi Logicae calleat praecepta; uti econtra id etiam sine Logicae praeceptis assequetur per Logicam naturalem, si claras, distinctas, certasque rerum ideas sibi comparaverit: recte igitur ratiocinatum eum dixeris hominem, vel judicasse, quem noveris claras, distinctasque ideas habuisse rei, de qua suam profert ex ratiocinio, vel judicio habitam notitiam.

Ast longissimae indaginis esse idipsum nosse quis non videt? Cum enim innumera sint objectorum genera, de quibus judicare, vel super quibus ratiocinia efformare homo valeat, quis pro singulis hujusmodi adaequatas regulas statuere valebit, ut tuto asserat, judicantem claram distinctamque rerum ideam habuisse? Sequentia tamen si attendantur, in pluribus viam sternent facillimam, qua asserere tuto valeamus, claras, distinctasque ideas pro re nostra habuisse homines in judicando, vel ratiocinando.

Atque in primis animadvertere praestat non semper requirendam in judicante claritatem, distinctionemque ideae quoad rem in se, seu quoad ejus intrinsecam naturam; sed si habeat claram distinctamque ideam relative tantum ad propositum, de

quo agitur, id sufficere ad judicium, seu ratiocinium, quod efformat, ut illa recte efformasse dicendus sit: sic ex. gr. ad recte judicandum etc. de colore, sapore, odore etc. rei alicujus noverit quisque, satis superque esse communem illam, quam quisque habet sensibus integris instructus de rebus hujusmodi notionem, nec ulterius aliquid exigendum de intrinseca notione, seu natura rerum ipsarum; ad quam forte nec philosophus quis hactenus tuto assereret se pervenisse.

Porro aut homo judicium profert de sensibilibus, aut de insensibilibus, et abstsactis, seu saltem conjunctis cum aliquo principio abstracto, vel acuta reflexione. Si de hisce secundi generis objectis agatur, cum saepius homo taedium accuratae reflexionis fastidiat, nec statum quaestionis, ut ajunt, (quod tamen pernecessarium est) diligenter investigare soleat, aut omissis ceteris, quae phantasiae alterationi subesse possunt, ea perlustrare, quae evidentia sint, factoque constent uniformi, et universali; cum insuper in rebus maxime abstractis facillime evenire soleat, ut plurima ex oculis judicantium eripiantur, plurima inter se collisa appareant, maxima pro minimis, et vicissim apprehendantur; cum in his Artis bene cogitandi praecepta necessaria sint maximopere, nequis hallucinetur; regula sane tuta adsignari non poterit, qua investigare quis valeat de claritate ideae requisita in homine, qui de hujusmodi judicaverit, vel fue-

rit ratiocinatus. Dico tamen, quod si plures, et palam concorditer judicant de his, quae minime sensibiliter nosci valent, certum est saltem, nihil in tali judicio contineri, quod opponatur sensibilibus cognitionibus, quas actu habeant tum ipsi, tum ii, penes quos judicium hujusmodi profertur.

Sicuti enim ex aliis notatis homo mentietur nunquam, si commodum nullum inde speret, mendacium autem omnino noverit detegendum, ita et nisi desipiat, velle non potest examinis rei facile cognoscibilis omissionem, quae ipsi nonnisi infamiam fatui, oscitantis, ignari posse noverit concreare; atqui si plures palam judicia proferrent pugnantia cum actu sensibiliter cognitis tum sibi, tum iis, apud quos sic judicant, omitterent examen rei facile cognoscibilis, nempe num judicia sua actu cognitis sensibiliter adversentur, et quidem noscentes inde infamiam tantum se nacturos; ergo impossibile est, quod si plures, et palam concorditer etc. Hinc si, puta, de oratore aliquo synchroni plures Historici dicant, et eloquentem ipsum fuisse, talemque apud suos concives omnes habitum, unde ad ejus eloquentiae experimenta plurimi ex civitate continuo convolarent, impossibile est, ut ii decipi se passi sint, et ex deceptione asseruerint, ad ejus eloquentiae experimenta plurimos certatim convolasse. Verebor forte, quod non habuerint sufficiens criterium ad judicandum de dati hominis eloquentia, nunquam tamen, quod

curam non habuerint de seipsis certiorandis, num revera tot homines ad eum audiendum continuo accesserint, idque voluerint edicere sine certa rei notitia ex praesumptione tantum cum periculo mentiendi coram illis, quibus factum ignotum esse non poterat, et a quibus de falsitate facile redargui potuissent.

Quod hic certum dico, si plures sint, qui palam judicia sua proferant etc., dici etiam de quovis judice posset singulari: attamen cum fieri possit, quod unus, aut alter ad desipientiam usque in opinione aliqua sit praeventus, atque ex eadem stultitia pariter ad fiduciam deveniat suae auctoritati homines contra sensibiliter cognita etiam fidem habituros (quod tamen impossibile in pluribus ut eveniat); hinc nisi plures sint simul concordes judices, certum dici non valet, quod nihil in tali judicio contineatur adversum actu cognitis, ut dictum est.

Quod si judex de sensibilibus proferat judicium, sequentia attendantur, in quibus de singulari quidem tantum judice sermo erit; at quaecumque in iis asseram habito respectu ad judicem singularem, augmentum semper acceptura noverit quisque, ubi plurium concorditer de eodem subjecto judicantium casus afferatur.

Dico ergo primo, dum sensibilia, quae judicii vel ratiocinii ope cognoverit quis, vera, aut falsa asserit; pro ratione qua magis, vel minus sint

sensibiliter cognoscibilia, major, vel minor habebitur probabilitas de adaequata notione rerum ipsarum in eo, qui eas sic asserit tamquam judex.

Homo natura sua laborem certe fastidit in veritatis inquisitione requisitum. At cum sicut amat veritatem dicere, ita et eam consequi cupiat, abhorreatque sicut mendacis, sic oscitantis notam; aliunde vero facilis sit in sensibiliter cognoscibilibus veritatis inquisitio; eo magis probabile esse debet, quod asserens veritatem inquisierit, et noverit, quo magis sensibiliter cognoscibile est objectum inquisitionis.

Dico secundo, quod dum sensibilia quis asserit judicio, vel ratiocinio cognita, maxima adest probabilitas ad certitudinem quandoque perventura de adaequata rerum cognitione, si notum sit, et noverit ipse asserens, res de quibus edisserit a pluribus inquisitas, et cognoscendas facile fuisse.

Ratio hujus canonis facillime patet ex naturali, quem superius innuimus, amore, quem habet homo, et cura de removenda a se nota quacumque tum mendacis, tum oscitantis, et ignari.

Cum tamen tum ex commodo aliquo vel vero, vel imaginario ex re utcumque asserta inveniendo, tum ex taedio laboris in inquirenda veritate fieri quandoque valeat, ut quis fiducia illectus de ea non incurrenda, infamiam ipsam vel mendacis, vel oscitantis contemnat, hinc ut plurimum probabi-

litatis gradum in his circumstantiis non excedi, statutum est.

Dico tertio: dum sensibilia, quae vera desideraret asserens, falsa judicat, et quae contra falsa cuperet, judicat vera, certum est, ipsum satis claras, distinctasque ideas habuisse, quibus tale judicium protulit.

Ex una parte enim certum est, amicum, vel hostem summo studio, et cura inquirere amici, vel inimici sui gesta, et qualitates; primus propter amorem, alter vero propter odium, quo personam (idem dicatur de rebus) sibi bene, vel male visam prosequitur: certum est ex altera parte, ita nos a natura comparatos, ut velut oculos avertamus ab iis, quae mali rationem habent in objecto amato; atque contemplando, quae boni rationem habent, augeamus: uti econtra bona veluti dispareant a nobis, dum rem invisam cogimur contemplari, mala autem quaevis etiam minima veluti maxima menti nostrae obversentur: quo fit, ut judicantes in favorem objecti amati, vel contra id, quod aversamur, toties dum secundum veritatem nos judicasse arbitrati fuerimus, ut plurimum contra veritatem, et nonnisi secundum animi affectiones revera judicaverimus. At hoc ipso jam inferre certissime licebit, et neminem arbitror inficiari posse; quod statutum est; quod si quis agendo de sensibilibus, cognitu scilicet facilibus verum aliquid esse desiderans, falsum tamen as-

severat, et viceversa; jam nulli dubium esse possit judicium hujusmodi pro recto habendum, seu eum, qui sic judicavit, ideas satis adaequatas habuisse ad recte judicium, seu ratiocinium efformandum.

Haec sunt, quae de Critices regulis tradenda duxi. Brevissima quidem prae voluminibus illis, quae in hanc rem tradi solent a pluribus, qui Criticam in notione potissimum consistere arbitrantur Auctorum, Editionum, Factorum, Inscriptionum etc.; ea tamen, quae dum mentem mole sua non fatigant, facili experimento noverit quis, recta et breviter in veritatis historicae vel probabilem, vel tutam ducere assecutionem. Licet ergo minime spernenda arbitrer ea plurima, quae ab auctoribus in hac facti specie passim traduntur; haec tamen, cum et potiora esse, et satis superque in praxi, imo facilius ad finem conducentia existimaverim, ideo prae ceteris vobis tradenda duxi.

Tria tamen adhuc coronidis loco remanent observanda. Primum versatur circa ea, quae obiter dici solent ab auctore aliquo, qui de rebus, quas tradit, vel testatur, vel judicat. Secundum erit de silentio auctorum, quanti scilicet hoc silentium in rebus historicis sit habendum. Tertium denique (in quo tota consistit *ars* illa, quae graeco vocabulo *hermeneutica*, seu *interpretandi* dici consuevit) versatur circa modum verum sensum scriptorum, et loquentium intelligendi; neque enim, ut patet, semper verba prout jacent, intelligenda sunt.

Ad primum ergo quod attinet. Obiter enunciata nos ducere non possunt in veritatis agnitionem; seu in his certi esse non possumus de veracitate, et scientia requisita in teste, vel judice, ut eis et in assertionibus, et judiciis fidere debeamus. Facto enim constat in incidentibus, et iis, quae obiter enarrantur, ut plurimum curam non adhiberi de veritate inquirenda; et praeter homines probitatis singularis ceteros minime sollicitos de mendaciis hujus generis vitandis; ergo cum obiter asserta non ea sint, in quibus certo constare possit, assertorem nec falli, nec fallere voluisse, ea quoque non erunt, quae veritatis characterem portendant. Excipe tantum obiter dicta, quae tamquam notissima, et vulgata indicantur; patet enim hanc incidenter etiam dictorum circumstantiam debuisse asserentem excitare, ut animadverteret, ne falleret, aut falleretur.

Quoad secundum vero, nempe silentium auctorum; fateor argumentum hujusmodi; quod *negativum* dici consuevit; maximi faciendum esse pro *certa* facti alicujus exclusione, si tamen ii sileant, qui debuissent rem noscere, et enunciare (neque enim quid negotii facessit, quod rem non indicent, qui vel noscere, vel enarrare non debuere); insuper factum ipsum oppositionem aliquam portendat cum circumstantiis, in quibus narratur contigisse; sine oppositione tamen hujusmodi, silentibus, qui debuissent rem noscere, et asserere, maximi item

faciendum silentium, sed ad evincendam maximam *probabilitatem* falsitatis rei: *probabilitatem*, inquam; neque enim impossibile, ut quis etiam in necessitate loquendi sileat.

At dico primo, silentium esse probandum, quod revera extet, excludendo nimirum rei ipsius, de qua silentium contenditur, sub quavis expressione indicationem, et locutiones quasvis, quae pro rei significatione aliquo modo intelligi valeant; alias ut patet, silentium non erit demonstratum; proindeque nullum, vel fere nullum argumentum pro rei positiva exclusione, quod inde infertur. Dico secundo, quod cum impossibile non sit, quod quis taceat in necessitate loquendi, aliqua concurrente causa; impossibile autem sit, quod quis contra naturam agat; jam ob simplex tantum silentium aliorum, qui rem debuissent referre, non deneganda erit fides uni etiam rei assertori, in quo concurrant notae certae veracitatis, et scientiae in superioribus adnotatae, cum juxta hic exposita probabilitas tantum haberetur ex silentio de falsitate rei.

Sed jam postremam manum operi apponamus regulas saltem potiores tradendo artis hermeneuticae ad historicos recte intelligendos, sine quibus inutilia prorsus evaderent hucusque proposita ad veritatem, saltem ex scribentium testimonio, investigandam, ubi praecipue (quod non raro evenit) ipsi vel breviter, vel obscure, vel negli-

genter sensa sua declarent: quae quidem regulae inservient etiam pro intelligendis auctoribus, qui aliquid doceant; non item poeticis, oratoriis, energicis etc., qui certe ut plurimum a simplicitate locutionum desciscentes apti non sunt ad veritatem aliquam tuto addiscendam.

REGULA PRIMA.

Verba auctoris cujuscumque sunt intelligenda in sensu obvio, et naturali. Nota tamen nomine sensus obvii, et naturalis intelligendum ipsum sensum grammaticalem, ubi vel non constet auctorem tropice locutum, vel sensus grammaticalis aliquam repugnantiam non importet: quibus in casibus sensus figuratus erit, et sumi debet pro obvio, et naturali. Desiperet enim auctor qui vellet tropice intelligi, ubi id vel ex contextu, vel aliunde positive non indicet. Si vero id constet, tunc certe sensus tropicus evadit obvius, et naturalis. Ille enim est sensus naturalis auctoris, qui primario intenditur ab ipso; atqui tunc primario ab auctore intenditur sensus tropicus; ergo etc.. Sic si quis ex. gr. fortitudinem alicujus sub Herculis nomine declararet, sensus naturalis erit, quod non Herculem, sed sui prototypi fortitudinem laudaverit, eo ipso quod constet ei non de Hercule, sed de alia persona sermonem esse.

REGULA SECUNDA

Ad accuratam auctoris intelligentiam calleat quis oportet ejus linguam, gentisque historiam, in qua, et pro qua auctor locutus est. Quaeque lingua suas habet peculiares expressiones, quae impossibile, ut in aliam linguam adamussim trasferantur, satis ergo non erit semper ad mentem scriptoris assequendam versionem operis perlegisse.

Saepius auctores ad mores gentis suae, pro qua scribunt, dicta sua componunt, ejusque modis loquendi, quos quaeque natio, et seculum peculiares habent, sensa sua exponunt; notio ergo historiae gentis, pro qua, et in qua auctor conscripsit, ad ejus intelligentiam maxime conducet.

REGULA TERTIA

Sine partium studio auctor legendus; juxta contextum intelligendus, verbaque ipsius in sensu ejusdem, et juxta systemata tunc evulgata accipienda sunt.

Si Epicurum de Deo disputantem intelligas sub Dei nomine ideam, quam nos Catholici habemus, indigitasse, fallaris necesse est; item alia ratione intelligendus est Philosophus de *materia et forma* nunc disserens, alia seculis elapsis, in quibus nonnisi dogmata peripatetica in philosophicis obtinebant.

Certum est insuper, quod si loquentis cujuscumque resecentur dicta, nec integer attendatur contextus, ridicula, inepta, et absurda plurima apparere debeant, quae sententiis cum sententiis comparatis nequaquam talia sunt. Quid ergo mirum si et in scriptoribus idipsum contingat?

Abstineas demum ab interpretatione auctoris, vel praejudicatas in ipsum, aut pro ipso sententias deponas, necesse est, si verum ipsius sensum assequi cupias, alias omnia juxta placitum, animique tui dispositionem, non juxta auctoris sensum intelliges.

REGULA QUARTA

Si auctor dedita opera mutavit sententiam, posterior, non prior, tamquam sententia ipsius est traducenda.

REGULA QUINTA

Si contradictoria videtur auctor admittere, nec ex adjunctis, aut contextu conciliationis modus appareat, ubi contradictio clara foret, si ad litteram verba sumerentur cum primis principiis ipsi auctori evidentibus, vel cum peculiaribus ipsius sententiis, atque hujusmodi contradictionem auctor ipse noscere debuisset; subtiles quaeque, acutaeque interpretationes sunt admittendae, vel scripto-

rem satis non novisse terminos dicendum est, adeoque aliud expressisse, aliud in mente habuisse potius, quam ipsa admitti debeat contradictio.

Suppono constare de integra auctoris mente, eumque effrontem non esse (id quod supponendum etiam in ceteris Regulis jam expositis). Jam vero certum utique est, quandoque ex inconsiderantia, quandoque ex memoriae lapsu, quandoque etiam ex oscitantia, et negligentia fieri posse, ut quis contradictoria et admittat, et venditet. Hinc mirum fortasse non erit, quod immutatis tantisper terminis, ideisque primariis cum aliis permixtis contradictoria admittantur quandoque ab auctore aliquo etiam cum primis evidentissimis principiis: fieri etiam aliquando potest, quod quis suismet peculiaribus opinionibus, et systematibus contradictoria etiam apertissima edisserat, ubi aliis distentus ideis, et reflectionibus, ipsas suas assertiones, opinionesque menti praesentes non habeat; quibus profecto in circumstantiis nulla ratio est, qua inferamus, subtilem potius admittendam auctoris interpretationem, vel dicendum ipsum terminos non novisse, quam dicatur ipse sibi contradixisse. At non item ubi contradictio aperta sit vel cum evidentibus primis principiis, vel cum opinionibus ipsius auctoris, qui utraque actu praesentia menti habeat. Natura enim docemur, hominem sanae mentis, nec effrontem evidenter contradictoria nec concipere, nec dicere posse. Stat ergo regula quinta exposita,

qua arti hermeneuticae finem imponentes Critices praecepta concludimus, atque insimul logicas Institutiones.

FINIS.

INDEX LOCUPLETISSIMUS

ETIAM MATERIARUM: QUOAD MATERIAS TAMEN PER INTERROGATIONES DISPOSITUS, ET PRO TIRONIBUS EXERCENDIS ACCOMMODATUS.

Littera N significat de materia illa in Nota pertractari.

LOGICAE PARS PRIMA

DE OPERATIONIBUS, QUIBUS HOMO VEL IPSE ASSEQUITUR, VEL CETERIS COMMUNICAT VERITATEM.

SECTIO PRIMA

DE IDEIS, ET VOCIBUS.

Pars Prima. De Ideis.

. . . . . .

SECTIO SECUNDA

DE JUDICIO, ET PROPOSITIONIBUS.

APPENDIX

SECTIO TERTIA

DE RATIOCINATIONE, ET ARGUMENTATIONE.

APPENDIX

DE SCHOLASTICA CONCERTATIONE.

LOGICÆ PARS SECUNDA.

DE VERITATE, EAMQUE INVENIENDI RATIONE

SECTIO PRIMA

DE VERITATE IN GENERE.

SECTIO II.

DE VERITATIBUS IN SPECIE, EASQUE INVENIENDI RATIONE.